TARGVM
SEV PARAPHRASIS
CALDAICA, QVAE ETIAM SYRIACA

DICITVR, IONATHANI CALDAEI ANTIQVISſimi atque fidiſsimi ſacrarum Veteris Teſtamenti ſcripturarum interpretis, in Hoſeæ, Ioëlis & Amoſi, grauiſsimas prophetias: atque etiam in Ruthæ Hiſtoriam & Lamentationes Ieremiæ prophetæ incerto authore Caldæo: nunc primùm latinitate donata, interprete Iohanne Quinquarboreo Aurilacenſi linguarum Hebraïcæ & Caldaïcæ Regio profeſſore.

Additæ ſunt etiam eiuſdem Quinquarborei in ſingula capita annotationes non pœnitendæ, cum locuplete Indice.

Iſte enim eſt Ionathanus ille præclarus, qui, quantùm ex Hebræorum traditionibus colligere licuit, Ieſu Chriſti domini noſtri viginti octo annis plus minùs natalem præcedens, virtute & laudibus floruit.

AD CAROLVM LOTHARINGVM CARDINALEM MECOENATEM SVVM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud Martinum Iuuenem, ſub inſigni D. Chriſtophori, è regione gymnaſij Cameracenſis.
M. D. LVI.

AMPLISSIMO GENEROSISSIMOQVE CARDINALI ET PRINCIPI CAROLO Lotharingo Iohannes Quinquarboreus ling. Heb. & Cald. Regius profeſſor S. D.

QVEMADMODVM humanum corpus perſpicaci viſu, cuius inſtrumentum ſunt oculi, ad res probè perſpiciēdas pernoſcendáſq; magnopere indiget, quo ſenſus alij tāquam duce ſuo vtantur: indiget itidem pedibus, quibus ambulet, ac quoquo feratur, adhæc manibus, quas operi admoueat, mēbríſque aliis, ac particulis, quæ cibum, potum, & res alias homini neceſſarias ſubminiſtrent: ita quoque quod oculi ſunt corpori, quod pedes, quod manus, cæteræq; particulæ, hoc ipſum eſt perficiēdis animis veritatis cognitio, & ſtabilis, firma, certáq; rerum diuinarum fides, quæ non ex nugis & fabulis petenda eſt, ſed ex ſacris ſcripturæ voluminibus, & ſanis probatæque fidei duntaxat interpretibus, qui nos vitam moréſque inſtituendos & componendos doceant ad Dei Opt. Max præſcripta & leges, vt tandē nos pietatis operarij diligendo quæ Deus amat, & odio proſequendo quæ deteſtatur ille, eum ipſum, qui in cœlis eſt, patrem poſſimus imitari. Quorſum autem hæc dixerim, paucis accipe: incidit in manus meas antiquiſſimus ille tātùm tēporis à grauiſſimis authoribus, qui linguas callebant, conſtante fama celebratus Ionathanus Caldæus ſacrorum librorum veteris Teſtamenti fidiſſimus interpres & paraphraſtes, quíque annis viginti octo plus minùs, quantùm ex Hebræorum traditionibus intelligere licuit, Chriſti domini & redemptoris noſtri natalem præceſſit, ac virtuti-

bus egregiis ornatus inter omnes ſui ſeculi claruit, & quem quantùm potuerunt peruicaces Iudæi, & religionis Chriſtianæ capitales hoſtes propter myſteria fidei noſtræ, quæ continet, occultauerunt nobis: is profectò genti ſuæ, niſi pertinax valde ad credendum refractariáque eſſet illa, dubia & obſcura omnia de Chriſto perſpicuis ſcriptis ſuis patefacit & illuſtrat. Quare ego gratiſsimũ me facturum tibi putaui, Illuſtriſsime Cardinalis, qui noſtræ Galliæ, omnis eruditionis & probitatis es lumen, ſi huic ſecundæ editioni Targumi in ſanctiſsimã Hoſeæ prophetæ vaticinationem (quam latinam factam tibi iam anno 1554. nuncupauerã) adhuc hoc anno eundem Ionathanum, vt pollicitus ſum, in diuinas prædictiones Ioelis & Amoſi continuauerim, & tantus theſaurus, quantus eſt hic Ionathanus, qui à nemine vel Græco vel Latino adhuc tentatus, tot ſeculis reconditus fuerat, in tuo nomine ad communem ſacræ ſcripturæ ſtudioſorum vtilitatem noſtra opera in lucem Latinis prodiret: vnà etiam adiunctis Latinè Hiſtoria Ruthæ & Lamentationibus Ieremiæ prophetæ incerto Caldæo paraphraſtæ. Ceterũ, ſi meas has in diuinos hos ſcriptores lucubrationes æquo ſuſceperis animo, non tantùm eos cum aliis minoribus prophetis ex Caldæo ſiue Syriaco ſermone in Latinum conuertam, ſed etiam, quantùm in me erit, reliquos omnes ſacros veteris inſtrumenti libros Caldaïcè ſcriptos, tametſi Græcis & Latinis adhuc non cogniti fuerint illi, quia magno emolumento reipub. Chriſtianæ eſſe poterunt, & ad conuincendum Iudæos ſunt propemodum neceſſarij, conſuetudini Latinæ tradam. Vale. Lutetiæ 1556. menſe Iunio.

AD

AD LECTOREM IOANNIS QVINQVARBOREI Præfatio.

SAnctißimè ſcripſiſſe mihi videtur, Chriſtiane lector, Iuſtinus ille Martyr, & philoſophus diuinus in oratione πρὸς Ἕλληνας, *nobis benè conſultum eſſe, ne videlicet occaſio aliqua præberetur his, quibus contradicendi ſtudium in vſu eſt, contendendi ſacros veteris inſtrumenti libros non ad nos, ſed ad Iehudæos pertinere, propterea quòd in Synagogis eorum ad hæc vſque tempora adſeruentur, quòd voluerit dominus Deus, vt illis maleuolis omnis calumniandi anſa auferretur, ſynceritáſque fidei noſtræ magis perſpicua eſſet, quæ noſtræ religioni vſui ſunt, non ſolùm ex Eccleſia noſtra promenda, ſed etiam apud Iehudæos cuſtodirentur, ad illorum impudentẽ perfidiam ſuis ipſorũ libris conuincendam, & illos, quod aiunt, ſuo gladio iugulandum. His poſtremis porrò temporibus, quia Dei Opt. Max. ſummo beneficio factum eſt, vt cognitis ipſis natiuis linguis, non riuulos conſectari cogamur, ſed aquam ex limpidißimis hauriamus fontibus, ita vt cum noſtræ fidei aduerſariis linguas callentibus certamen inire poßimus, nec illis reſpirandi locus, quô effugere poßint, relinquatur, ad Caldæorum antiquißimæ linguæ ſtudium, à quibus ipſe veræ Theologiæ fons vberrimus, & primus legiſlator Moſes oriundus, vt me contulerim facilimè incitauit Chriſti domini & redemptoris noſtri amplificatio honoris & gloriæ, quæ quidem ſæpißimè illi perhibetur ab ipſis Caldæis interpretibus antiquis præſertim, ſi quis diligenter ſingula in illis examinauerit. Itidémq; fecit Iuſtinus ſuprà à me dictus Martyr, in eadem*

gentium admonitoria oratione, cùm ait Iohanne Pico Mirandulano ita latinè reddente. Reliquum igitur putauerim, vt quæ à vobis priùs acceperam, eadem vobis in præſentia referam. Dum enim quiſpiam veſtrum, vt ipſi dicitis, ab oraculo percuntaretur, quinam olim religioſi viri extitiſſent, in hunc modum oraculum reſpondiſſe fatemini:

Qui per ſe genitum Hebræi coluêre tonantem,
Caldæíque ſimul ſophiam, diuináque norunt.

Quódq; Petrus Galatinus vir doctiſſ. librorum primo de arcanis catholicæ veritatis de Ionatha & Onkelo, Cal-
Cap. 3. *dæi qui paraphraſtæ habentur, ita ſcripſit. Per idem ferme tempus, anno ante Chriſti natalẽ circiter ſecundo & quadrageſimo Ionathas Vzielis filius, Hilleliſque auditor, atque Symeonis Iuſti, qui Chriſtum infantulum brachiis ſuſcepit ſuis, condiſcipulus, totum vetus inſtrumentũ in Caldæam vertit linguã, atque expoſuit: ita ſenſum è ſenſu eliciens, & obſcuriſſima quæque exponens ſenſa, & vocabula, vt quæcunque de Meſia noſtro dubia & ambiguè ſcripta erant, certa atque clariſſima reddiderit: adeò vt eius editio non tam interpretatio, quàm gloſſematum, ſiue ſecretiorum expoſitio videatur: Quam Hebræi* תַּרְגוּם *targum, id eſt tranſlationem nuncupant. Tantæque apud eos eſt authoritatis, vt non ſolùm ei contradicere nemo audeat, & non minùs quoque fidei quàm archetypo Hebræo paſſim omnes eidem adhibeant, tum ob viri ſanctitatem ac peritiam, tum maximè ob ipſius interpretationis, expoſitioníſque veritatem. Ideo quotieſcunque aliquid ambiguum, aut difficile intellectu, in textu ſacrorum librorum inueniunt, ſemper ad eandem tranſlationem atque enucleationem recurrunt. Vnde de eodem Ionatha vt in* בָבָא בַתְרָא *legitur,*

dixerunt

dixerunt magiſtri, qua is hora eidem æditioni & expoſitioni vacabat, ſi muſca, aut quodcunque volatile ſuper eũ, aut eius chartam aduolitaſſet, ilico abſque vlla ipſius viri, aut chartæ, in qua ſcribebat, offenſa, cœlitus exurebatur. Paulò pòſt verò de altero Caldæo paraphraſte Onkelo idem ſcribit. Tota proculdubio Biblia Ionathas, vt ante dixi, tranſtulit: ſed eius tranſlatio in Pentateuchum rariſſima eſt: idcirco ab his qui eam non viderunt, ea eſſe negatur. Ego verò ipſam ſemel vidi, quæ ſic incipit. מִן אַוְלָא
בְּרָא יְיָ יַת שְׁמַיָּא וְיַת אַרְעָא *Ea autem quæ Onkeli eſt, ſic:*
מִן קַדְמִין בְּרָא יְיָ יַת שְׁמַיָּא וְיַת אַרְעָא· *Hic etiam Onkelos*
tota Biblia in Caldæum vertit, ac expoſuit. Cuius æditio, atque expoſitio, quanuis nunc præterquàm in Pentateuchum vix alicubi reperiatur, non minoris tamen apud Iehudæos eſt precij, quàm illa, cuius nunc meminimus, Ionathæ: quam etiam Targum appellant, quòd Caldaïca quoq; ſit, ſicut & illa, & ſi vtraque Hebräicis ſcripta ſit elementis. Editio quoque ipſius Ionathæ in Pſalterium penes pauciſſimos eſt, quam, qui habẽt, pro viribus occultant, celãtq;, propter myſteria Chriſtianæ fidei quæ continet. Hactenus ille. Elias Iudæus porrò in ſua præfatione in Caldaïcum dictionarium ſuum ex Talmuditis doctoribus docet centum annos ferè ante euerſionem ſecundi templi, quæ facta eſt per Titum, Ionathanum ipſum vixiſſe, ex quibus ſi 33. annos quibus vixit Chriſtus, detrahas, quoniã in principio 34. anni ætatis ſuæ paſſus eſt, & deinde 40. poſt quos à Tito ſubuerſa eſt Ieruſalem, & templum deſolatum, inuenies Ionathanum iſtum 28. annis plus minùs ante Chriſtum vixiſſe. Cæterùm Onkelum alterum paraphraſtem dicunt iidẽ Hebræi filium fuiſſe ſororis Titi, qui templum

deſtruxit Ieroſolymitanum. Ne itaque pro nihilo ea habeatur, ſed quæ ſit Caldaïca paraphraſis vis, quæ dignitas, quantúmque momenti in ſe habeat, cognoſcatur: & inuitentur, allectentúrque Chriſtiani ad Caldaicæ ſiue Syriacæ linguæ ſtudium: locos ego nonnullos ſcripturæ (rogo ne ſint qui me nimiæ curioſitatis accuſent, nō enim ſine exemplo id facimus) in medium adferam, vnà cum illorum Caldaïca paraphraſi. Legitur enim Hebraïcè Geneſ. 49. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃ *id eſt, Non recedet ſceptrum de Iehuda, & ſcriba de pedibus eius, donec veniat Silo, & illi (erit) obtēperatio gentium. In Targumo autem Onkeli eſt.* לָא־יֶעְדֵּי עָבֵיד שׁוּלְטָן מִדְּבֵית יְהוּדָה וְסָפְרָא מִבְּנֵי־בְנוֹהִי עַד־עָלְמָא עַד־דְּיֵיתֵי מְשִׁיחָא דְּדִילֵיהּ הִיא מַלְכוּתָא וְלֵיהּ יִשְׁתַּמְעוּן עַמְמַיָּא׃ *id eſt, Non recedet, qui imperet, de domo Iehuda, & ſcriba de filiis filiorum eius vſque ad ſeculum, donec veniat Meſias, nam illius ipſius eſt regnū, & ei † obedient populi. Pſalm. 45. vbi Hebraïcè legitur* יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם *id eſt, Pereleganti forma fuiſti præ filiis hominū. Caldæus interpres tranſtulit* שׁוּפְרָךְ מַלְכָּא מְשִׁיחָא עָדִיף מִבְּנֵי נָשָׁא *id eſt, Pulchritudo tua rex Meſia excellentior eſt, quàm filiorum hominum. Eſaïæ 42. Hebraïcè dicitur* הֵן עַבְדִּי אֶתְמָךְ־בּוֹ *id eſt, Ecce ſeruus meus quo nitar. Caldæus autem paraphraſtes Ionathanus vertit.* הָא עַבְדִּי מְשִׁיחָא אֲקָרְבִינֵּיהּ *hoc eſt: Ecce ſeruus meus Meſias, adducā eum. Sic apud eundem Eſaïam Hebraïcè etiam 52. legitur* הִנֵּה יַשְׂכִּיל עַבְדִּי יָרוּם וְנִשָּׂא וְגָבַהּ מְאֹד *id eſt, Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Quem locum antiqui Hebræi ita intellexerunt: Exaltabitur pluſquàm Abraham, eleuabitur pluſquàm Moſes, & ſubli-*

† alia lectio habet, יִשְׁתַּמְּשׁוּן i. ſeruient.

& ſublimis erit valde pluſquàm angeli. Ionathanus autem cald.tranſtulit. הָא יַצְלַח עַבְדִּי מְשִׁיחָא יִרְאַם וְיִסְגֵּי וְיִתְקוֹף לַחֲדָא: *id eſt, Ecce proſperè ſuccedet ſeruo meo Meſiæ, exaltabitur, & ampliabitur, & fortis erit valde. Hoſeæ 3. contextus heb.habet.* אַחַר יָשֻׁבוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וּבִקְשׁוּ אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם וְאֵת דָּוִד מַלְכָּם וּפָחֲדוּ אֶל־יְהוָה וְאֶל־טוּבוֹ בְּאַחֲרִית הַיָּמִים: *id eſt. Poſtea reuertentur filij Iſraëlis, & requirent dominum Deum ſuum, & Dauidem regem ſuum, & pauebunt ad dominum, & ad bonitatem eius in nouiſſimis diebus. Quæ Ionathanus ita Caldaïca lingua donauit.* בָּתַר כֵּן יְתוּבוּן בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְיִתְבְּעוּן יַת פּוּלְחָנָא דַּיְיָ אֱלָהֲהוֹן וְיִשְׁתַּמְעוּן לִמְשִׁיחָא בַּר דָּוִד מַלְכְּהוֹן וְיִתְנַהוֹן לְפוּלְחָנָא דַּיְיָ וְסַגִּי טוּבֵיהּ דְּיֵיתֵי לְהוֹן בְּסוֹף יוֹמַיָּא: *hoc eſt. Poſtea reſipiſcent filij Iſraelis, & quærẽt cultum domini dei ſui, & morigeri fiẽt Meſiæ filio Dauidis Regis ſui, & ſtudebũt cultui domini, & multiplicabit bonitatem ſuam, quæ illis eueniet in fine dierum. Ieremiæ 30. hebraicè ſcriptum eſt·* וְעָבְדוּ אֵת יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם וְאֵת דָּוִד מַלְכָּם אֲשֶׁר אָקִים לָהֶם *id eſt. Et ſeruient domino Deo ſuo, & Dauidi regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. Ionathanus verò cald. tranſtulit.* וְיִפְלְחוּן קֳדָם יְיָ אֱלָהֲהוֹן וְיִשְׁתַּמְעוּן לִמְשִׁיחָא בַּר דָּוִד מַלְכְּהוֹן דְּאֲקִים לְהוֹן. *i. Et ſeruiẽt corã dño deo ſuo, & obſequioſi fient Meſiæ filio Dauidis regis ſui, quem ſuſcitabo eis. Qui loci, vt hebraicè ſcripti ſunt, profectò de Dauide ipſo nõ poſſunt intelligi, cũ ſit habenda ratio tẽporis, quo vixerint Hoſeas & Ieremias Prophetæ. Ex illis igitur iam dictis ſententiis, aliiſque propemodùm infinitis, liquidò conſtat, Caldaïcam linguam eximiè vtilem, & magno eſſe emolumento toti religioni Chriſtianæ. Caterùm, omiſſis dictionibus, quæ in nouo inſtrumento ſæpe occurrunt, quæ (ne fortè neſciat aliquis) om-*

b   *nes*

nes ferè Caldaicæ ſunt: ne prolixior videar, quàm par ſit, pertexens quod modò exorſus ſum, vt videlicet excitentur noſtræ Chriſtianæ religionis Antiſtites & principes, apud quos & authoritas, & diuitiæ ſunt, quibúſque à domino demandata eſt prouincia animaduertendi, quæ pro noſtra, & contra noſtram religionem faciant, ne, proh dolor, poſthac diſsimuláter ſinant opera tot illuſtrium virorum Hebræorum, & Caldæorum, quos ſuperiores ætates tulerunt, miſerè cum blattis, & tineis certare, vel ab infidelibus occultari: quin illa extorqueant ab ipſis fidei noſtræ aduerſariis, vt ad noſtras omnium perueniant manus: hoc vnum tantùm addam, ſanctam ſynodum Viennenſem rectiſsimè ſanxiſſe, vt in celebrioribus ſcholis profeſſores linguarum Hebraïcæ, Caldaïcæ, & Arabicæ (quas potiſsimùm callent infideles) honeſtis ſtipendiis alerentur. Haud enim obſcurè teſtata eſt illa, linguarum notitiam & cognoſcendæ, & explicandæ religionis organum eſſe præſtantiſsimum. Vale, & boni conſule.

TARGVM

TARGVM SEV PARAPHRASIS CALDAICA, QVAE ETIAM SYRIACA DIcitur, Ionathani Caldæi antiquiſsimi atque fidiſsimi ſacrarum Veteris teſtamenti ſcripturarum interpretis, in Hoſeæ, Ioëlis, & Amoſi grauiſsimas prophetias: atq; etiam in Ruthæ hiſtoriam & Lamẽtationes Ieremiæ prophetæ incerto authore Cald. nunc primùm Latinitate donata, interprete Iohãne Quinquarboreo Aurilacenſi, linguarum Hebraïcæ & Caldaïcæ Regio profeſſore.

Cap. I.

SErmo prophetiæ, quẽ dominus habuit cum [a] Hoſea filio Beeri, tẽporibus Vziię, Iotami, Aazi, Ieizciæ, regũ Iuda, atque etiam Iaroubami filij Ioaſi regis Iiſraëlis. Principium ſermonis domini per Hoſeam: dixit enim dominus Hoſeæ, ito vaticinatum vaticinationem contra ciuitatis idololatræ habitatores, qui ſuam in dies culpam augent: quandoquidem valde à diuino cultu aberrant [b] incolæ terræ. Abiit autem, & prædixit illis, quòd ſi pœnitẽtia ducti fuerint, remittetur illis: ſi verò non, decident, ſicut decidit folium [c] ficus: verùm pertinaces fuerunt in ſceleratis operibus. Et dixit dominus illi, voca nomen eorum diſperſos, quoniam ferè adhuc modicum eſt, & puniam ſanguinem colentium idôla, qualem [d] Iehu in Iizreële effudit, qui occidit illos propterea quòd Baal colerent: cõuerſi (enim) ſunt iſti, vt poſt vitulos, qui in Bethelo ſunt, aberrent: propterea haud dubiè ipſum innocentem ſanguinem in domo Iehu vlciſcar, & ceſſare faciã Iſraëlitarum regnum. Eueniet etiam tempore illo, vt mi-

litũ Iizraëlis vires in planitie Iizreelis[e] cõquaſſem. Peruicaces enim fuerũt indigna cõmittendo facinora, adeò vt illi dixerit, nomẽ indito illis ſine miſericordia in operibus ſuis, quoniam non poſthac addam vt miſerear domus Iiſraëlis: verũtamen ſi illos pœnituerit, proculdubiò impetrabũt veniam[f]. Domus[g] verò Iehudæ miſerebor, nam illos redimam per Verbum domini Dei ſui, non autem arcu, aut gladio, aut militibus, aut equis, aut equitibus. Diſperſiones[h] tamen illorũ, quæ inter exteros exiliis prementur, venia videbuntur indignæ propter opera ſua: nam mala opera perpetrando contumaces erunt. Ad hæc dixit: nomina eorũ nomen non populus meus, quoniam populus meus vos non eſtis: propterea quòd vos non obſeruetis legis meę verba, non vobis auxiliabitur verbum meum. Erit porrò numerus filiorum Iiſraël multus, quantus eſt arenæ maris, quæ neq; ſub menſuram neque ſub numerum cadit: ſed accidet, poſtquàm acti in exilium erunt inter populos, eo quòd legem tranſgreſsi fuerint, vt dicatur illis, nõ populus meus vos: reſipiſcent (tamen) & vocabuntur, dicetúrque illis: Popule ipſius[i] Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iudę & filij Iiſraël ſimul, capútque vnum ſibi de domo Dauidis conſtituent, atque aſcendẽt de terra captiuitatis ſuæ, certè dies congregationis illorum celebris[k] erit. Dixerant[l] fratribus veſtris prophetæ: Popule mi ad legem meam conuertimini, & miſerebor congregationis veſtræ.

In

In Caput primum Scholia.

a Hoſeas propheta, vt Hebræorum traditiones teſtantur, Ieroſolymitanus & prophetæ filius fuit. Multùm autem diúque vixit ille: nam ſi propheticum munus in principio regni Vziæ obierit, qui anno vigeſimo ſeptimo regni Iaroubami filij Ioaſi regis Iſraëlitarum, conſtitutus fuit rex Iudææ, certum erit eum ſancto prophetico munere annos octoginta quatuor ſaltem functum fuiſſe, quandoquidem Vzias quinquagintaduos regnauit annos. Iothamus verò Vziæ filius annos ſexdecim, & Aazus filius Iothami ſimiliter, vt parens, ſexdecim annos imperauit. Itaque ſi natus erat Hoſeas tantummodò annos ſexdecim, quando vates Domini factus eſt, vitam extendit vltra centum annos: quoniam huic ſupputationi nonnihil de ætate regni Iezeciæ admiſceas oportet, eo quòd illius etiam ſeculo vixerit Hoſeas, vt ex huius prophetiæ proœmio cōſtat. Cæterùm ſi duntaxat ſub finem regni Iaroubami filij Ioaſi, qui quadragintavno annis decem tribubus Iſraëlis imperauit, vaticinatus ſit Hoſeas, annos nonaginta quinque plus minùs vixit, vt ſupputatione annorum, quibus regnarunt quinque reges illi, qui in huius prophetiæ proœmio memorantur, ex 4. Reg. 14. 15. & 16. liquet. Vixit autem Hoſeas iſte ſeculo vatum Eſaiæ, Amoſi, & Micheæ. Vaticinatus porrò eſt Hoſeas vaticinium hoc plus minùs quadraginta vno annis & ſeptem menſibus ante tranſlationem regni decem tribuum ad Aſſyrios, & expugnationem vrbis Samariæ per Salmanaſarum Aſſyriorum regem, ſi ſub finem dierum Iaroubami filij Ioaſi vaticinari inceperit: ſiquidem Zecharia filius Iaroubami ſex duntaxat regnauit menſes: Sellum autem, qui occiſo à ſe Zecharia rege regnum occupauit, menſem regnauit vnum, quem cùm occidiſſet Menahemus, vſurpato à ſe regno decem annos regnauit, eíque regno ſucceſſit filius Pecaię, qui duos ſolùm regnauit annos: nam interfecto Pecaia rege à Peca filio Remaliæ, regno potitus eſt Peca ille filius Remaliæ viginti annis: Hoſea porrò filius Elæ, enecato à ſe Peca filio Remaliæ nouem annos regnum occupauit, & ſub illo facta eſt ab Aſſyriis Samaritana euerſio, atque tranſlatio ſceptri decem tribuum ad Aſſyrios. Si autem vaticinium ſuum orſus fuerit Hoſeas in principio regni Vziæ adhuc quatuordecim annos ſuperadde, & numerum reperies annorum quinquagintaquinque cum ſeptem menſibus à principio huius vaticinij ad cladem & exitum Samaritanum, quoniam cùm annos quadraginta vnum regnauerit Iaroubamus (vt iam dictum eſt) in Samaria, & vigeſimo ſeptimo anno regni illius regnare cœpit Vzias Ieroſolymis, ſuperaddere oportet illis viginti ſeptem annis elapſis ad-

huc quatuordecim, vt annos quadraginta vnum, quibus regnauit Iaroubamus, habeas. Aetates porrò & numerum annorum quibus regnauerunt hi reges, lege 4. Regum 15. Cæterùm binomius fuit Vziias rex, nam 2. Paralipp. 26. Vziias nomen habet. 4. Regum verò 14. & 15. Azarias appellatur. Inuehitur autem hoc vaticinio Hoſeas in Samaritanum regnum decem tribuum, & in Iudaïcum, quod duabus tãtummodò tribubus Iudæ videlicet & Beniamini conſtabat: duæ enim tribus illæ ſolæ partes Reabami filij Selomonis ſunt ſequutæ. 3 Reg. 12. & 2. Paral. 11. Taxat verò primùm ciuitatem Ieruſalem vel Samariam, quoniam duæ vrbes illæ erant præcipuæ regnorum Iudaïci & Samaritani, & illarum ſacerdotes & ciues, qui lumen probitatis eſſe debebant, ſuis corruptis moribus exemplóque malo indoctam plebem totiúſque regni & Iudaïci & Samaritani incolas inducebant in errorem, regnantibus regibus illis, quorum in proœmio meminit.

b Per incolas terræ, duodecim omnes tribus Iſraëlis intelligit, quæ, vt conſtat ex huius prophetiæ lectione, prauis moribus, & opinionum prauitate infectæ, ac omni ſcelerum genere maculatæ erant, ſeculis quibus viuebant reges, quorum hìc vates meminit.

c Folium ficus citò & inter folia primùm decidit: iſta enim ſimilitudine illis prędicit cladem & exitium inſtans, niſi pœnitentia ducantur.

d Hoc dicit, quia Iehu, qui ſe perfidelem propugnatorem religionis Dei contra nocentes præſtiterat, à domino Deo deficiens adorauit vitulos in Bethelo & Dano, induxítque cum nepotibus ſuis, qui poſt illum regno potiti ſunt, populum alioqui propenſum & facilem, in errorem 4. Reg. 9. & 10. Sequuti enim ſunt ipſe Iehu, & Iehoaas filius eius, & Ioas nepos eius, & Iaroubamus pronepos eius, cuius in proœmio meminit Hoſeas vates iſte, & Zecharia abnepos eius, vt in eorum annalibus in 4 Reg. legitur, cap. 13. 14. & 15. religionem ſceleratiſsimi regis Iaroubami filij Nebati, qui adorandi vitulos in Bethelo & Dano author fuit 3. Reg. 12. Nuſquam porrò meminit vituli, qui adorabatur in Dano Hoſeas propheta, ſed illius tãtùm qui in Bethelo colebatur: numero autem plurali dixit vitulos, cùm duntaxat vitulus vnus in Bethelo adoratus fuerit: quod ita factum eſt à vate, eo quòd præcipuus & magis celebris fuerit ille, qui colebatur in Bethelo propter loci celebritatem, quoniam illic Iacobus ipſorum Iſraëlitarum pater, ſcalam viderat, cuius ſummitas tangebat cœlum: angelos quoq; aſcendentes & deſcendentes per illam, ac dominum innixum eidem ſcalæ Geneſ. 28. Ibidémque poſtea aram Deo iubente idem Iacobus extruxerat, Geneſ 35. Iaroubamus verò rex locum illum ea de cauſa potiſsimùm elegerat, quòd inde ſperaret ſe faciliùs fucum facturum imperitæ

ritæ multitudini, totíque populo, ſicut re vera fecit. Danus porrò ſolummodò erat appendix, ſiue (vt ita dicam) annexio ipſius Betheli, & propterea minùs erat celebre illius fanum.

e Samaria & Iizreel regni decem tribuum erant ſedes & vrbes præcipuæ, pro quibus tuendis contra Salmanaſarum Aſſyriorum regem, qui Iſraëliticum ſceptrum in Aſſyriam tranſtulit, opus erat præcipuis viribus & copiis totius regni.

f Summam Dei bonitatem, clementiam & facilitatem in condonando hinc collige: non enim peccatorum mortem vult dominus, ſed magis vt viuant, & conuertantur, Ezechiel. 33. Vult haud dubiè dominus Deus homines omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. Timoth 2. Contextus porrò Hebraïcus verè ſic etiam verti poteſt conuenienter ferè cum Caldæo interprete, Quoniam non addam in poſterum, vt domus Iſraëlis miſerear, quin parcendo parcam illis, quaſi dicat, Non habita malorum ſuorum præteritorum operum ratione, abſoluta mea poteſtate certè condonabo illis, quando tempus aduenerit, quo futurum eſt, vt ſit vnus paſtor, & vnum ouile, & reliquiæ Iſraël ſaluæ fient: nam qui tunc ſupererunt ex decem tribubus, quæ nunquam ab Aſſyriorum exilio redierunt, nec in regnum ſuum redibunt, ſalui fient reſipiſcentes, & Chriſti domini noſtri eredentes Euangelio. Tempore porrò domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Samaritani dicebantur, nón omnes erant de ſemine ſiue ſanguine Iſraëlis, quandoquidem iam dudum Iſraëlitæ ipſi exulauerant, quíque Chriſti tempore degebant in regione illa, quæ regnum fuerat Samaritanum, miſsi magna ex parte per colonias fuerant ex exteris nationibus ab Aſſyriis, ne alioqui propter exilium colonorum veterum regio deſerta maneret. Lege 4. Reg. 17. cap. & Ioſephum lib. 9. antiq. Iud. cap. vltimo.

g Intelligit per domum Iudæ apoſtolos cum cæteris eccleſiæ fidelibus, qui ſua ſponte nulla adhibita vi, aut minis aliquibus Chriſtum dominum & redẽptorem noſtrum Iudæorum regem, & verum Dei verbum ſunt ſecuti, quorum arma carnalia non fuerũt aut ſunt 2. Cor. 10. Meminit autem domini noſtri Ieſu Chriſti, quem vt D. Iohan. cap. 1. Verbũ vocat, quod ſine dubio ſacroſanctæ triadis eſt ſecunda perſona. Ionathanus porrò Caldæus iſte paraphraſtes in hunc prophetam totus diuinus eſt, & ab illius ſententia, quòd antiquiſsimus ſit, non eſt temerè recedendum, ſiquidem Chriſti domini tempora præceſsit quadraginta annis, ſi Galatino lib. primo, cap. 3. de arcanis catholicæ veritatis habenda ſit fides, & Symeonis iuſti, qui Chriſtum infantulum brachiis ſuis ſuſcepit, fuit coæuus, atque ſub eodem præceptore cui Hillel nomen

men erat,ſtuduit.Vide prefationem noſtram ſuprà vbi latiùs hac de re.

b Quadrant optimè hæc omnia Iudæis diſperſis & adhuc exilio grauiſsimo luentibus pœnas ſui ſceleris,propter illum, qui vera ſalus mũdi eſt, impiè morti traditum : ſunt autem huius verſus verba omnia , ſi quis illa ad verbum vertat , præteriti temporis pro futuro tẽpore more prophetico,ad rei maiorem certitudinem ſignificandam:quare erubeſcant peruicaces Iudæi, qui cùm non minùs iſti Ionathano tribuant, quàm Hebraïco contextui,hoc loco & alibi ſæpe,in eo veritatem non agnoſcant.

i Poteſt hoc modo cõuenire Caldæus iſte interpres Ionathanus cum D.Paulo ad Romanos 9.cap. qui hunc locum Hoſeæ citans illum intelligit de vocatione gentium: quòd gentiles videlicet, Chriſto domino noſtro recepto à ſe , non ſolùm contenti erunt ſe eſſe Chriſtianos, verumetiam Iudęos ipſos ,qui per eorum prouincias exilio premẽtur, doctrina & moribus optimis ad euãgelium inuitabunt ,eóſq; lucrifactos Chriſto,tandem vocabunt populum Dei viuentis.

k Q.d. Sicut triſte fuit & ærumnoſum admodùm tempus longi exilij & captiuitatis Iſraëlitarum & Iudæorum , quæ quidem captiuitas Iſraëlitis ipſis decem tribuum contigit , quòd inſignes eſſent idololatræ.Iudæis verò,quòd Chriſtum dominum ignorare voluerint,ita lætum admodùm ac celeberrimum erit illis tempus & dies, quo vtrique in euangelicam libertatem aſſerentur , & confractis diaboli vinculis introducentur in gregem domini per Chriſtum,quem ducem & principem ſibi conſtituent. Hunc porrò verſum Iudæi ipſi doctiores de Meſia ipſo intelligunt , quem tamen excæcati iam veniſſe non cognoſcunt adhuc.

l In hoc verſu & ſequenti Ionathanus præteriti temporis verbis vſus eſt, quæ ſimiliter in Hebraico contextu, ſi mutaueris puncta, per præteritum verti poſſunt , quanuis tamen à Latinis interpretibus per imperatiuum communiter vertantur:cęterùm tempore Ionathani lubricus erat Hebraïcus contextus , quoniam nondum ſuo ſeculo notæ illæ ſiue puncta,quæ hodie pro vocalibus vſurpant,erant inuenta:Verbum porrò רִיבוּ,quod in Heb.cõtextu legitur,eſſe poteſt prę teriti tẽporis, vel modi imperatiui pro הָרִיבוּ vel הָרִיבוּ ſi ה coniugationis Hiphil formatiuum adeſſet,quod quidem ה in præterito & imperatiuo coniugationis Hiphil verborum quæ dicuntur quieſcentia Aiin vaf, ſolet quandoque perdi , vt in grammatico noſtro opere obſeruatum comperies. Pendet autem ſententia vſque ad capitis ſequentis verſum, qui incipit,filiorum eius,&c.

Cap.

Cap. 2.

Increpauerunt Synagogam Iſraëlis (prophetæ,) ac illi dixerunt, quòd, ſi ſe non dederet cultui & verbo meo, me illi minimè exorabilem præberem, donec (etiam) mores ſuos corruptos emendaret omnino, cultúmque idolorum vrbe ſua expelleret. Ne illi diuinum fauorem meum ſubtraherem, & euaneſcere facerem gloriam illius, illámque proſternerē, ſicuti fuerat olim[a], eo quòd ſe ad cultum meum cōponere noluiſſet, atque exarderet ira mea contra illam, ſicut cōtra populum exarſerat, quando prætergreſſus eſt legem meam in deſerto, ponerem quoque illam vt terram ſolitudinis, ac eam ſiti enecarem. Filiorum eius profectò non miſerebor, quoniam idololatræ ſunt ipſi. Aberrauit haud dubiè illorum ſynagoga poſt pſeudoprophetas, illorum doctores [b]pudefacti ſunt: dixit enim, populos amatores meos ſequar, per quos abundè habeo cibum meum & potum meum, veſtimenta lanea & linea plenè, oleum quoque totius victus mei. Ideo ecce ego veluti ſepibus hirtis peruertam vias tuas, ac velut intercluſionibus parietum intercludam, ne ſuas inueniat ſemitas. Et perſequetur pacē cum amatoribus ſuis, ſed ab illis non obtinebit, quæret auxilium, & non inueniet: tunc dicet, abibo, & reuertar [d]ad antiquum cultum domini mei, quandoquidem benè mihi erat, quando colebam maieſtatem illius: in poſterum idola non colam. Non enim nouerant ipſi, q̄ ego benedictione [e] mea illis triticum, vinum & oleum auxiſſem, multiplicaſ-

ſemq́ue eiſdem argentum & aurum, ex quo confecerant idôlum. Idcirco reuocata [f] ſententia mea, triticum tempore collectionis [g] ſuæ auferam, & vinum tempore expreſsionis [h] ſuæ: repetam etiam plenè veſtimenta lanea & linea, quæ ad tegendum pudenda ſua illi dederam. Propediem enim verenda illius retegam in oculis populorum amatorum eius, & nemo illam de manu mea eripiet. Adhæc ceſſare faciam omnia gaudia eius, dies [i] feſtos eius, neomenias [k] eius, ſabbata [l] & omnes ſtatas [m] ferias eius. Vaſtabo etiam vinetum & ficetum illius, eo quòd dixerit, honori mihi ſunt ipſa, quòd exteri amatores mei mihi dederint: verùm redigam illa in ſaltum, & conſument illa bèſtiæ [n] agri. In illa quoque puniam peccata temporum, quibus idôla colebat, quando incendebat illis aromata, & ſimilis erat mulieri, quę maritum ſuum deſeruit, & ornauit ſe inaure ſua, monilibúſque margaritarum ſuarum, & poſt amatores ſuos aberrauit: talis fuit ſynagôga Iſraël, quæ, deſerto à ſe cultu meo, idôla colere maluit, dicit dominus. Tandem ecce ego illam ad legem inclinabo, & in gratiam illius miracula edam, egregiáque facinora, ſicut iam in deſerto illi feci, ac per prophetas [o] ſeruos meós blandè conſolabor illam. Et illi deinde paſtores [p] ſuos conſtituam, atque vallem Achor ad animi delicias: & ſtudebunt ibi verbo meo, ſicuti [q] antiquitus: ego ſanè in gratiam illorum miracula, ſignáque egregia edam, ſicuti tempore quo egreſsi ſunt de terra Aegypti. Et erit tempore illo, dicit dominus, ſtu-

debitis

debitis cultui meo, neque poſtea populorum idôla coletis. Nulla profectò mentio fiet ab ipſis idolorum gẽtium, ſiquidem in poſterum non illorum nominis recordabuntur. Inibo autem tempore illo fœdus cum illis, vt in pace degant cum beſtia [r]agri, cum volucre cœli, & reptili terræ: arcũ etiam, gladium & milites tollam de terra, & illos in ſecuritate habitare faciam: & ſtabiliam vos coram me in æternum, vos enim coram me ſtabiliam in veritate, [ſ]in iudicio, in beneficentia & miſerationibus. Stabiliam porrò vos coram me in [t]fide, & cognoſcetis timere dominum. Et eueniet tempore illo, vt exorabilem me vobis præbeã, dicit dominus, præcipiam cœlis, & ipſi pluuiam ſuper terram demittent. Terra verò abundabit tritico, vino & oleo, quæ cumulatè [v]captiuitati populi mei ſatisfacient. Stabiliam denique vos coram me in terra domus maieſtatis meæ, miſerebórq; illorum, qui per opera ſua venia indigni fuerant: dicam etiam his quibus dixeram, vos nõ eſtis populus meus, certè vos populus meus eſtis, ipſi verò dicẽt, Deus meus es.

In Cap. 2. Scholia.

a Multas è libris Iudicum & Regum attingit hiſtorias, ex quibus videre licet populum Iſraëliticum ſæpe in ditionem gentium veniſſe, valdéque fuiſſe afflictum, eo quòd colere & adorare dominum Deum ſuum omnipotentem deſtitiſſet.

b Q. d. Pectòra verſat illorum doctoribus & concionatoribus probis pudor, quòd ipſi falſis vatibus poſtpoſiti fruſtra in concionẽ aſcẽdant, inanitérque doceant non furandum, non fœnerãdum, non adulterandum & idololatrandum, quoniam omnes ſunt omni ſcelerum

genere maculati,neque illos pudet, aut pœnitet peccaſſe.

c Amicus ſemper eſt, amator verò ad tempus. Per amatores illos autem intelligit propheta, vt ex Hebræis doctiores ſentiunt, Aſſyrios & Aegyptios,quorũ auxilio ante cladẽ ſuã fracti erant omnes Iſraëlitæ ſynagogæ aſſectores, qui nullo modo tamen eis contrà Caldæos ſuppetias venerũt, vbi diuino nutu aduenit tempus exitij illorum propter ſua lutulenta vitia, neque Aegyptij & Caldæi contra Aſſyrios, quando illi decem tribus trãſtulerunt. Vel etiã per amatores illos, vt idem Hebræi interpretes dicunt, nefarios pſeudoprophetas intellexit, qui contra diuina præſcripta pendebant à ſyderibus, quos conſulebant Iſraëlitæ & interrogabãt, an ex ſua exitioſa ſyderali ſcientia pacem aut aliquid aliud fauſtum ſiniſtrúmve illis deprehẽdiſſent:huiuſmodi proculdubio pſeudoprophetis, hariolis, & coniectoribus, quos adibant, qui vtinam etiam nulli eſſent hodie, valde dominum Deum prouocauerunt,& exacerbauerunt Hebræi.

d Hoc autem non dicent aſſeclæ ſynagogæ, vt Hebræi interpretes teſtantur, donec longo preſsi fuerint exilio, ſicut in lege ſcriptum eſt Deuter. 4. Cùm fueris in tribulatione tua,& inuenerint te omnia quæ prędicta ſunt,in nouiſsimis diebus certè reuerteris ad dominum deum tuum,& audies vocem eius. Si enim,inquiunt Hebræi doctores,huius verſus Hoſeæ verba confeſsione plena pronunciaſſent, tantiſper dum erant ipſi in terra ſua,non eſſet illis exilium.

e Diuina benedictio in ſacris literis ſæpenumero abundantiam ſignificat,maledictio verò penuriam.

f Q.d. Poſtquam calamitatis & exilij pondere preſſa, cognoſcet & confitebitur ſe bona ſua omnia habuiſſe à me, vt pœnas det cum aſſectatoribus ſuis perfida ſynagoga,reuocata ſententia mea, auferam triticum,&c. & ſic pœnam ſcelere dignam ſuſcipiet,quoniam paulò ante ſuprà dixerat ſe omnia abundè habere à populis, quos amatores ſuos vocauit.

g Cald. Tempore areæ ſuæ. Hoc eſt: tempore quo duci in aream triticum oportebit.

h Cald. Tempore torcularis ſui. Hoc eſt: quando vuæ iam maturæ calcandæ erunt, & exprimendæ in torculari.

i Per dies feſtos ſiue lætos intelligere videtur, non quæ pro delicto aut peccato fiebant, ſed pacifica ſacrificia pro gratiarum actione, ex quibus pacificis comedebãt offerẽs & quilibet,qui mũdus erat: fiebãt autem pacifica ſacrificia, quando aliquid proſperè ſucceſſerat, vt cùm liberatus erat è vinculis aliquis,aut opus aliquod perfecerat,aut pepeiſſet alicui ſterilis vxor, aut ex graui morbo conualuiſſet: his pacificis

ſacrificiis

ſacrificiis etiam annumeranda ſunt vota, quæ ſponte fiebant in futurum tẽpus, ſi videlicet pro voto ſuccederet, & ex animi ſententia negotium aliquod, quod tentaretur. Ritum vide Leuit. 7. & nonnihil Prouerb. 7.

k Menſium initiis tubis clangebant Hebræi. num. 10. Sacrificabant etiam, & ſacrificij ritus exprimitur num 28.

l Sabbata Hebdomadibus ſingulis celebrabantur.

m Per ſtatas ferias feſtum paſchatis, Pẽthecoſtes & tabernaculorum potiſsimùm intelligit, quæ certo anni tempore celebrabantur, Deuteron. 16.

n Per beſtias agri intelligunt Hebræorum nonnulli horridos & truces hoſtes Iſraẽlitarum, qui illos truculentiſsimè inuaſerunt.

o Per prophetas illos, intellige prophetas, quales in nouo teſtamento communiter intelliguntur, hoc eſt, ſpiritus ſancti afflatu ſacrarum ſcripturarum interpretes, qui non per legem veterem rigoris plenam, ſed per ipſum euangelium, quod ſuaue iugum eſt, & onus leue, Hebræos ipſos ſynagogæ filios tandem conſolabuntur, atque deducent ad Chriſtum dominum noſtrum. Cæterùm, in nouo ipſo teſtamento non omnino repelluntur & excluduntur prophetæ futurorum prænuntij, nam donari poſſunt aliquandò à Deo Opt. Max. ſpiritu prophetię viri ſancti, ſicut legimus Act. 11. d. & 21. b de Agabo, qui famem futuram prænuntiauit, déque filiabus quatuor Philippi, ac aliis.

p Q. d Pro Moſe, Ioſua, Iudicibus, ſiue ducibus, regibus & prophetis tandẽ habebũt duces apoſtolos, & alios Chriſtianæ fidei proceres, qui illos alta pace & animi tranquillitate, Euangelij prędicatione frui faciẽt, ita vt perturbationes, & pro Chriſti nomine perſequutiones futuræ illis ſint deliciæ. Achor autẽ perturbationẽ ſignificat, & eſt vallis nomen, in qua Acham lapidibus obrutus fuit, qui propter ſcelus ſuum perturbauerat Iſraẽlẽ, Ioſuæ 7. Itaq, inquit, qui Chriſti domini noſtri partes ſequentur tantum abeſt, vt perſequutionibus perturbẽtur propter nomen illius, vt magna admodũ voluptate tunc afficiantur: quod iam in apoſtolis, martyribus, ac aliis ſanctis patribus perfectum eſſe comperimus.

q Alludit ad Patriarcharum & ſanctorum patrum veteris teſtamenti tempora, in quorum gratiam ſigna multa & egregia facinora edidit dominus, ſimiléſq; apoſtolis & nouę legis ſanctis pollicetur, quod, vt videmus, iam præſtitit.

r Spiritalia pèr temporalia intelligens & exprimens propheta, altam his verbis animi pacem ſuis promittit: qui enim Chriſtum dominum & redemptorem noſtrum cognouerunt, aduerſa omnia propter illum

 patiun-

patiuntur æquo animo, non minùs quàm ſi alta & ſumma corporis pace fruerentur.

ſ Id eſt, Eritis vos poſthac coram me veraces, integri, benefici, & miſericordes: Graphicè autem hominem Chriſtianum deſcribit.

t Fidem perfectam operantem in charitate, ex qua viuit iuſtus, intelligit: verſu porrò præcedenti Chriſtiani hominis opera attigit.

v Per captiuitatem populi ſui eos intelligit, qui tandem effractis vinculis ſeu captiuitate diaboli ad Chriſtum confugientes, etiam ſi nihil habeant, erunt veluti omnia poſsidentes ſua ſorte propter Chriſtum contenti. Vel, quia in Hebræo ipſo contextu legitur Iizreel, quod ſemen Dei, vel diſperſionem Dei ſignificat, illos intelligit, qui propter Chriſtum diſpergerentur, & veluti extorres erant exulaturi, propter illum fugientes de ciuitate in ciuitatem, qui tamen adeò æquo animo omnem inopiam & egeſtatem patientur, atque ſi abundarent, & illis res ampla eſſet domi.

Cap. 3.

Dixit autem rurſus mihi dominus, vade vaticinatū vaticinium contra Iſraëlitas, quoniam ſimiles ſunt ipſi mulieri, quam maritus vt ſuam amat, ipſa verò contra illum adulterium committit: verùm enimuero deamat illam, neque illi[a] diuortij libellum dat: talis eſt amor domini erga filios Iſraëlis, & ipſi ab idôlis gentium pendent: ſi tamen reſipiſcere voluerint, dabitur illis venia, comparabuntúrque viro, qui errauit & loquutus eſt (tantùm) contra ſocium[b] ſuum. Redemero haud dubiè illos per Verbum meum decimaquinta[c] die lunæ Niſan,[d] dabitúrque numerata pecunia ad expiationē animarum ſuarum: adhæc dico, quòd offerent coram me manipulum primitiarum de hordeorum aceruo. Vates dicito ipſi ſynagôgæ Iſraëlitarum: flagitia veſtra vobis in cauſa fuerunt, vt exilio premamini

mini diebus multis: ſtudebitis cultui meo, non meretricabimini, neq; coletis idôla, & tandẽ futurum eſt, vt ego veſtri miſerear. Certè longo [c] tempore manebunt filij Iſraëlis ſine rẽge de domo Dauidis, ſine aliquo qui ſuper Iſraëlitas imperet, non etiam acceptum erit ſacrificium in Ieruſalem: adhæc in Samaria nullam ſtatuam habebunt, nullúmque Ephod, aut idôli reſponſum. Poſteà reſipiſcent filij Iſraëlis, & quærent cultum domini ſui, & morigeri fient Meſiæ filio Dauidis regis ſui, & ſtudebũt cultui domini, & bonitatem ſuam multiplicabit, quæ illis eueniet in fine dierum.

In Cap. 3. Scholia.

a Libelli diuortij ſiue repudij formulam vide in noſtris obſeruationibus, in cap 3. in Targum Ruthæ, in hoc ipſo volumine.

b Q d. Condonabitur illis facilè, dúmmodò illos pœniteat: facilè enim conciliantur ſocii, ſi aliquando diſcordes fuerint: ſummam autem Dei Opt. Max. bonitatem & clementiam hîc conſidera.

c Verbum Dei patris Chriſtus dominus noſter, priùs à ſynagôga ipſi proditori Iudæ numerata pecunia, paulò ante principium diei decimiquarti lunæ Martii, qui Niſan hebraïcè appellatur, clamauit expirans intenſa voce, Conſummatum eſt. Per manipulum autem primitiarum Chriſtum primitias dormientium. 1. Corint. 15. intelligit: quem Iudæi putantes ſe obſequium præſtare Deo, vt hominem de fece populi crudeliſsimè occidi curarunt, quod per manipulum hordeaceum depromptum ex aceruo ſignificatur: nam hordeaceus panis vilis eſt, & parui pretii. Quæ porrò ſit vis, & dignitas huius antiquiſsimæ Ionathani Caldaïcę paraphraſis, quantúmq; momenti in ſe habeat illa, hinc & ex aliis multis locis facilè colligere licet. Cæterùm tantæ eſt authoritatis apud Iudæos, vt illam negare non audeant: quare hîc erubeſcãt neceſſe eſt, nam ſua ipſa Iehudæorum in hunc Hoſeæ locum interpretatio, non prophetiæ, vt decebat, ſed hiſtoriæ iam dudum prę̃teritæ cõuenit: quoniam quo ſe vertant, vt hunc locum contorqueant, neſciunt illi.

d Cald.

d Cald. legitur ſecundum Venetum exemplar (quod hoc loco mihi valde placet) dabítque (Synagoga) pecuniam appenſionum expiationem pro animabus ipſorum: ſecundum autem D. Kimhii lectionem in comment ſuis: comparaueróque pecunia appēſionum expiatione pro animabus ipſorū. יְהַב enim Cald verbū ſic hoc loco ex ſuo Hebraïco ſynonymo כָּרָה comparare ſiue acquirere ſignificabit. Oportebat ſanè, vt certum conſtitutum pretium præcederet expiationem & redemptionem hominum omnium factam per Chriſtum dominum noſtrum filiū Dei vnigenitum verè deum & hominem, quoniam Ioſephus Iuſtus & innocens ipſius Chriſti typus, authore fratre ſuo Iuda, profanis Iſmaëlitis venditus fuerat, Geneſ. 37. Cæterùm ſunt in ipſo verſu duo præterita Cald. pro futuris, nempe redemi, pro redemero, ſiue comparaui, pro cōparauero: & dedit, pro dabit: & hoc ad maiorem rei certitudinem ſignificādam prophetico more, ex quo quidem ſolent ipſi diuini vates præterito pro fut. vti, quoniam rem quam prædicebant ita certò futuram tenebant, atque ſi iam adimpleta eſſet illa.

e Vide quàm expreſſe Ionathanus Caldæus interpres, qui, quòd, vt iam diximus, tempora Chriſti præceſſerit, caret omni Iudaïſmi ſuſpicione, locutus ſit de lōgo per Romanos illato exilio, in quo adhuc Iudæi ſunt propter illum, qui vera ſalus mundi eſt, morti impiè traditum: meminit adhæc decem tribuum Iſraëlis, quæ nunquam ab exilio redierunt, quibúſque Salmanaſarus Aſſyriorum rex, qui in exilium egit illas, aut illius poſterorum aliquis, nullum præfectum aut principem dedit vnquam, quin grauiſsima ſeruitute ſemper preſsi fuerunt, quam hodie adhuc ſentiunt, ſentiéntque cum ipſis Iudæis, donec vnum ouile fiet & vnus paſtor, qui erit Chriſtus dominus & redemptor noſter, quem tandem cognoſcent talem, & confitebuntur reliquiæ Iſraëlitarum, quæ ſaluæ fient: nulla porrò in exilio facta eſt illis vnquam copia vel ſacrificandi Deo vero more ſuo, vel ipſi Baali idôlo, quod tantopere Iſraëlitæ coluerunt, vel vitulis, quos in Bethelo & Dano adorauerant, vel denique ſuo ritu ſeruato, conſulendi veri Dei oraculum, vel alieni ex idôlis & ſimulachris quibuſdam, ex quibus futura diſcebantur. Verſu porrò ſequente, perpende diligenter, quàm apertè diuinus iſte Caldæus interpres de Meſia ipſo, qui eſt Chriſtus Ieſus, loquatur.

Cap. 4.

Audite verbum domini filij Iſraëlis, quoniam contentio eſt domino cum habitatoribus *a* terræ,

quoniam nō ſunt veritatis cultores, nulla ſunt pietatis officia, non ſunt denique in terra, qui in timore domini viuant. Iurant in vanum & mentiuntur, homicidæ ſunt, fures & ſcortatores, prognatóſque procreantes ex proximorum ſuorum vxoribus, ac maleficia maleficiis cumulantes. Proptereà vaſtabitur terra, & profligabitur omnis incola illius à beſtia agri & volucre aëris, piſces maris etiam propter illorum flagitia cladem ſentient, proptereà ꝙ dicant: liber[b] non docet, propheta non reprehendit: populus certè tuus contendit cum doctoribus ſuis. Sed corruëtis in media luce,[c] corruënt etiam pſeudoprophetæ, qui vobiſcum ſunt, tanquam ſi nox eſſet, & pudore obruam ſynagôgam veſtram. Stultè agit populus meus ſine ſcientia: quoniã cognitionem timoris mei tu cōtempſiſti, propellam te, ne coram me miniſtres: proptereà etiam quòd oblitus es legem Dei tui, amandabo ego quoque [d]poſteros tuos. Quemadmodum illorum dignitatem auxi, ſic peccare auxerūt coram me, & gloriam ſuam cum ignominia[e] commutauerunt. Sacerdotes polluunt ſe comedēdo[f] peccatum populi mei, propterea quòd ſcelera cumulare faciant ſceleribus illius animæ. Eueniet porrò, poſtquã profanum veluti ſacerdotem collocauero ad contaminandum illorum ſacroſancta, amandabo ipſorum gloriam, & quod excellēs eſt, in contemptum ponam: proptereà, vt pœnas de illis ſumam pro moribus ſuis malis, ac ſecūdùm reproba illorum opera illis rependam. Comedent autem, ſed non ſatu-

rabuntur, ducent vxores, ſed liberos non ſuſcipiēt, quoniam dereliquerunt cultum domini, eúmque non obſeruauerunt. Meretricium, vinum & temulentia eripiunt, atque aberrare faciunt illorum animum. Populus meus talis eſt, quòd ſimulachrum ligni ſui conſulat, & de excelſis ſuis eſt, qui baculo [g] ſuo indicet illi, quoniam erroris ſpiritus illos libidinari facit, vt aberrent à cultu Dei ſui. Super montium cacuminibus ſacrificant, & ſuper collibus incendunt aromata, ſub quercu, aut populo, aut vlmo, quia illarum (arborum) vmbra dēſa eſt: idcirco meretricantur [h] filiæ veſtræ, quæ vobis ex externis mulieribus ſunt, nurus quoque veſtræ, quæ filiis veſtris connubio iunctæ ſunt ex exteris, adulterantur. Non animaduertam in filias veſtras, quòd meretricentur, neque in nurus veſtras, quòd adulterentur, quandoquidē ipſi [i] (priùs) cum ſcortis verſati ſunt, & cū fœda meretrice genio indulſerunt: cęterùm populus, qui legem non intelligit, nónne collidetur? Si vos, ô Iſraelitæ, aberretis, ne in ſcelera prolabantur Iudæi, ne eatis in Gilgalam, [k] ne aſcendatis in Bethelum, neque in vanum iuretis, viuit ipſe dominus. Profectò ſicut bos ſaginatus & [l] indomitus, ſic rebellauit Iſraël ob fœlicitatem nimiam: (ſed) propediem illos deducet dominus, ſicut agnum ſelectum [m] in planiciem. Addicti ſunt idolis Iſraëlitæ, & religionē ſuam dereliquerunt. Illorum principes ex rapina conuiuia celebrant, aberrant ideo, & ad meretricium conuertūtur, amant vt ignominia [n] adueniat ſibi primates eorum.

eorum. Optimatum illorum opera recta non ſunt, (verum) ſicut fieri non poteſt, vt in ala retardetur *ventus, (ſic) propediem contra illos adducam hoſtem, & propter aras idolorũ ſuorum pudore obruentur.

In Cap. 4. Scholia.

a Quando dicit cum habitatoribus terrę, perinde eſt, acſi diceret vates, vobiſcum eſt acerrima contentio domino ô Iſraëlitæ.

b Populi Iſraëlitici impudentiam & inſolentiam ſummam oſtendit, quoniam legis & prophetarum ignari Iſraëlitæ audebãt dicere legem & prophetas vitia non reprehendere, quæ tunc temporis vigebant, ac inſurgere etiam in illos auſi erant, quorum monitis & doctrinæ debebant parere: tuus porrò ad idololatram ſynagôgam illorum, vel ad metropolim ciuitatem Samariam refertur. Quando porrò paulò antè dixit, futurum vt etiam cum volucribus piſces maris cladem ſentiãt, Hyperbolica eſt ſententia, qua ſtudet vates ipſis Iſraëlitis metum incutere, vt illi ſibi tanta ruina propoſita reſipiſcant, & ad obſeruationem legis & præſcriptorum Dei Opt. Max. redeant: ſed incaſſum refractarium populum admonet.

c Q. d. Vos cum pſeudoprophetis veſtris, tempore cladis & exitij veſtri, quod vobis non ex inſidiis aut noctu, ſed aperto marte & luce clara afferetur, adeò cæcutietis, vt prorſus ignari, ſtupidi, bardi, & omni ni conſilio deſtituti videamini.

d Hoc dicit vates, quòd præuideret poſteros maiorum ſuorum, lege diuina contempta & violata, corruptos & deprauatos mores ſequuturos, ſicut etiam hodie ſequuntur adhuc perfidi & infœlices Iudæi.

e Q. d. Tantiſper dum me coluerunt, triumpharunt de hoſtibus ſuis Iſraëlitæ, & facti ſunt voti compotes: at verò vbi me ipſi deſeruerunt, de illis triumphauerunt hoſtes, magna cum ſua ipſorum clade, ignominia & confuſione.

f Id eſt, Impuri & flagitioſi illorum ſacerdotes conniuent peccatis & maleficiis ipſius populi quoniam ob multa ſcelera & peccata multæ fiunt oblationes (ait vates) ex quibus ſacrificuli ipſi diteſcunt, cùm tamen ex officio hoc deberent deteſtari. Contextus autem Hebraicus ad verbum habet. Peccatum populi mei comedunt, & ad iniquitatem ſuam attollunt animam illius. Per peccatum autem populi, intellige oblationem pro peccato.

g Hoc eſt, Sacerdotes, admoto baculo idôlo, quod in loco eminenti poſitum eſt, indicant & declarant illis falſi Dei ſui voluntatem: in locum autem illũ ſoli ſacrificuli illi cum pſeudoprophetis aſcendebant. Quando porrò dixit libidinari, de fornicatione ſeu meretricio ſpiritus intelligit.

h Hoc eſt, Cùm filiæ, tum nurus veſtræ magnam habent ſcortandi libidinandíq; occaſionem, propter tantam locorum opacorum commoditatem.

i Eſt hic ironica ſecundæ perſonę in tertiam mutatio, & perinde eſt, ac ſi dixerit, vos viri boni ſcilicet, quorum erat filias & nurus veſtras à malo diuertere, atque tantum illis diſſuadere ſcelus, priùs libidinantes ſcortátéſq; iter ſtrauiſtis illis, ac anſam ſimile faciendi eiſdẽ pernicioſo exẽplo veſtro præbuiſtis: quamobrẽ acerbiùs multò agetur vobiſcum. Iuxta Hebraïcum contextum porrò eſt: Quoniam ipſi cum meretricibus ſecedunt, & cum ſcortis ſacrificant, id eſt: faciunt ſacrificia, vt inde nanciſcantur occaſionem pergræcãdi vnà cum meretricibus: quem ſenſum etiam ſequitur Ionathanus iſte Caldæus.

k Gilgala ſiue Galgala locus eſt contra orientem antiquæ vrbis Iericho, in quo primùm poſt tranſitum Iordanis fœderis arca requieuit: in illo loco erexit Ioſuë duodecim illos lapides, quos extrahi iuſſerat per duodecim viros ſingularum duodecim tribuum, è fundo Iordanis, in quo pedes ſacerdotum ferentium ipſam arcam ſteterant, tantiſper dum pede ſicco populus tranſiret Iordanem fluuium: ibidem etiam facta eſt ſecunda circuncíſio, & celebratum eſt paſcha, comederéque cœperunt Iſraëlitæ de frugibus terræ à Deo illis promiſſæ, ac ceſſauit Manna, Ioſue 4. & 5. Quæ omnia quia celebrem locum reddiderũt, ſicut ſcala Iacobi locum Bethelum, vt iam ſuprà in caput primum à nobis obſeruatum eſt, magnam occaſionem & anſam præbuerunt pſeudoprophetis & idolorum ſacrificulis lucro ſtudentibus, vt prætextu ſanctitatis loci ob res memoratas, homines ad idololatriam pellexerint, & propterea locus ille abominatus eſt à prophetis Dei. In illo denique loco reiecto Deo rege, cùm iam Iſraëlitę hominem regem petiiſſent, 1. Reg. 8. conſtitutus ac confirmatus fuit Saül in regno à Samuële & populo. 1. Reg. 11. quæ res adhuc locum illum Gilgala inuiſum magis Deo & prophetis reddidit.

l Q.d. Aduerſum Deum Opt. Max. ingrati excuſſerunt Iſraëlitæ iugum legis, & omnino inſolentes facti ſunt.

m Hoc eſt, Iſraëlitas, qui antea honoribus, lætitia, otio & rebus abũdabant, exponet dominus hoſti truci, cui reſiſtere non poterunt, aut ab illo fugere, ſicuti agnus ſaginatus in loco vago, & longè à paſtoribus derelictus,

dereliƈus, lupum veniētem ſua corporis nimia obeſitate effugere non poteſt.

n Q. d. Tantùm abeſt, vt illorum optimates flagitioſè viuentes pudeat nomini ſuo maculam inurere, vt idipſum in honorem adducant.

o Q. d. Sicut ventus ligari aut tardari non poteſt, ſic nullus erit, qui hoſtis aduentum poſsit impedire, aut illi reſiſtere. Prædicit autem captiuitatem & exilium decem tribuum factum per Salmanaſarum Aſſyriorumregem, 4. Reg. 17.

Cap. 5.

Audite hoc ſacerdotes, & attendite poſteri Iſraëlis, auſcultate quoq; domeſtici regis: nonne ad vos ſpectat cognoſcere iudicium? certè exitium eſtis proximis [a] veſtris, & veluti rete expanſum ſuper excelſum mōtem. Idôlis ſine dubio ſacrificant amplißimè, tametſi eos omnes ego monitis [b] meis erudire nitar. Nota mihi ſunt Ephraïmitarum opera, & à me illa Iſraëlitarum abſcondita non ſunt: nunc enim idôla colunt Ephraïmitæ, & Iſraëlitæ polluti ſunt. Non deſerūt opera ſua, vt ad cultū Dei ſui redeant, quoniam inter illos eſt ſpiritus erroris, & diſciplinam à domino non quęrunt. Verūenimuerò deprimetur [c] Iſraëlitarum gloria ipſis cernentibus, ſiquidē Iſraëlitæ ipſi & Ephraïmitæ [d] ob maleficia ſua corruent: corruent quoque ipſi Iudæi cum illis. Cum [e] gregibus & armentis ſuis ibunt, vt diſciplinam quærant à domino, ſed non inuenient, (nam) ab eis receſsit diuinus fauor meus. Contra [f] verbum domini præuaricati ſunt, quoniam liberos de filiabus exterorum modò pro ſuis agnouerunt, propediem contra illos ſingulis menſibus populos

 adducam,

adducam,qui terræ illorũ vaſtabũt fructus. Attollite vocem veſtram ô prophetæ veluti buccina, ſignificetur, quòd venient contra illos gentes homicidæ, eo quòd Saülẽ regem[g] conſtituerunt, qui erat de Gibaatha, ſonum edite veluti tuba, dicite reges venturos cum exercitibus ſuis cõtra illos, eo quòd verbis Samuëlis non morem geſſerint, qui fuit de Ramatha: propter illos milites iubilabunt, quòd præuaricati fuerint in verbũ meum, & à cultu meo receſſerint: non enim coluerunt me in ſanctuario, [h]quod ĩ terra tribus Bẽiamin eſt. Domus Ephraïmi in deſolatione erit in die vltionis flagitiorum, quoniã Iſraëlis tribubus (ſingulis) legis cognitionem [i]dederam. Optimates Iudę ſunt, veluti qui terminos [k] transferunt, ſuper eos effundam quaſi aquam furorem meum. Apud Ephraïmitas calumniam paſsi, in illorum iudiciis pro flagitioſis habentur, quoniam cõuerſi ſunt iudices illorum ad aberrandum poſt fallaces diuitias. Erit proculdubio verbũ meum veluti tinea Ephraïmitis, & veluti blatta Iehudæis. Intuebuntur autem Ephraïmitæ infirmitatem ſuã, & Iehudæi plagas ſuas: ĩbũt enim Ephraïmitę in Aſſyriam, & ad regem [l] mittent, qui vltum veniat illos: vates illis dicito: non poterit ille mederi vobis, neque lenire dolorem veſtrum. Quandoquidem erit verbum meum veluti leo Ephraïmitis, & ſicut catulus leonum Iudæis: ego in verbo meo occidam & prædabor, extollam potentiam meam, & non erit, qui eripiat.

In Cap.

In Cap. 5. Scholia.

a Potes etiam ſic vertere: Scandalum eſtis doctoribus veſtris, id eſt: veri Dei ſacerdotibus & prophetis, quos deberetis audire, illorúmque parere monitis. Per montem excelſum porrò, in quo rete expãſum eſt, metaphora ducta ab aucupe aut venatore, qui illic auibus & feris retia tendere ſolet & laqueos, ſignificat technas & inſidias flagitioſorum hominum, quibus ſtudeat illi, vt proximo noceant.

b Id eſt, Quanuis in dies ad illos prophetas meos mittam, qui eos admoneant reſipiſcentiæ, non propterea idolis ampliſsimè immolare deſinunt.

c Verbum Hebraïcum ענה ſignificat reſpondit, & illam ſignificationem ſequuti ſunt Latini interpretes: ſignificat etiam humiliauit ſiue depreſsit, quam ſignificationem ſequuti ſunt Ionathanus Caldæus iſte interpres, & Septuaginta.

d Meminit Ephraimitarum, cùm propter Iaroubamum filium Nebáti, qui fuit de tribu Ephraïmi, 3. Reg. 11. quíque falſam illam religionem adorandi vitulos introduxit, 3. Reg. 12. tum propter totam ipſam tribum Ephraïmi, quæ magis propẽſa erat ad cognati ſui regis Iaroubami falſam religionem, quàm aliæ. Meminit Iſraëlitarum etiam propter tribus reliquas, quæ partes Iaroubami ſequutæ ſunt, quæ omnes pœnas dederunt, propter vitulòrum adorationem. Iudæorum quoq; ſimilis exitij meminit, quòd ipſi ſacroſancto Ieroſolymitano templo non contenti, in quo ſolo ſacrificare & colere ritè Deum Opt. Max. licebat, falſam aliorum religionem ſequuti ſint.

e Supple: vt pacatum eum reddant, ſed gratæ non erunt huiuſmodi oblationes & ſacrificia, quia fiẽt potiùs timore deteriùs habẽdi, quàm amore & animo redeundi ad dominum Deum, qui propterea fauorem ſuum ſubtrahet.

f Lege Dei abutentes Iſraelitæ affinitatem cum externis contrahebant, & ob id malè habuerũt. Vetabat enim Dei lex, Exo. 34. & Deut. 7. ne affinitate ſe deuincirent Iſraëlitæ cum exteris, ne videlicet vxores ipſæ externæ pertraherent ac pellicerent tandem maritos ſuos ad cultum idolorum, & ptopterea Deus eos deleret.

g Hiſtoriam attingit, qua Iſraëlitæ omnes auxilio Dei diffidentes, qui variis in periculis ab exitu de Aegypto illos incolumes ſeruauerat, ab ipſo Samuële hominem regem protectorem ſuum petũt, cùm tantùm hactenus dominum Deum regem propugnatorem ſuum habuiſſent, 1. Reg. 8. Arguuntur autẽ ingratitudinis ab ipſo Samuele, 1. Reg. 12. Cæterùm, Saul illorum primus rex flagitioſus fuit. Hanc hiſtoriam

iterum

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

iterum attingit Hoſea cap.13.

h Sacroſanctum templum Ieroſolymitanum intelligit per ſanctuarium: nam Ieruſalem in tribu Beniamini ſita eſt.

i Q. d. Et inde fiet, vt ignorātiæ ſuæ excuſationem adferre non poſſint, tametſi Iaroubamus rex ſceleratiſsimus, q. fuit de tribu Ephraïmi, illis impoſuerit, qui quidem propter maleficia ſua cum tota ſua tribu Ephraïmi, quæ illi magis deuincta & obnoxia ob ſanguinis propinquitatem erat, quàm cæteræ tribus, deſtruetur omnino.

k Q. d. Non ſunt ſtudioſi & contenti ſuis rebus, ſed in proximum exercent tyrannidem iniqui primates Iudæ, qui lumen probitatis omnibus eſſe deberent.

l Q. d. Confugient citiùs ad vanum humanum auxilium, quàm ad meum firmum Iſraëlitæ, & propterea perpetuam ſeruitutem ſeruient, donec erunt ouile vnum & paſtor vnus. Per regem illum autem, vel Aegypti, vel Syriæ regem intelligit: freti enim erant in aduerſis, vt ſæpe ſacrorum librorum lectio docet, Iſraëlitæ auxilio & fiducia Aegyptiorum & Syrorum, qui tandem nihil adiumenti eis afferent, quando opus erit.

Cap. 6.

Subtraham fauorem meum, & reuertar, vt habitem ſanctuarium meum, quod in cœlis eſt, donec ſe peccaſſe cognouerint, & quærant me: quando enim inuaſerit illos miſeria, timorem [a] meum quęrent. Dicent: [b] venite, reuertamur ad cultum domini, quoniam ipſe vulnus inflixit nobis, & ſanabit nos, quíq; contra nos vexationem adduxit, leniet (eam) nobis. A morte reuocabit nos in diebus conſolationis in futurum: in die reuocationis [c] mortuorum reſuſcitabit nos, & coram illo viuemus. Nos porrò mutuis exhortationibus inuicem docebimus, proſequemúrque, vt cognoſcamus timorem domini, qui ſimilis erit luci auroræ, quæ circum ſe (omnia) exornat, nobis etiam eueniet benedictio veluti pluuia abundans [d] extremo tempore,

quæ

quæ terram irrigat. Vobis quid faciam ô Ephraïmitæ, vobíſq; ô Iudæi in vero iudicio? ꝓbitas enim veſtra eſt veluti nubes matutina, & veluti ros, cuius humor (cito) euaneſcit. Idcirco, quia eos admonui per legationem vatū meorum, & non reſipuerunt, adducam [e] contra vos homicidas: propterea quòd tranſgreſsi fuerint verbum voluntatis meæ, profectò iudicium meum veluti lux [f] exorietur. Cùm erga exercentes miſericordiam maior mihi ſit animi propenſio q̃ erga ſacrificantem, & erga obſeruatores legis [g] domini, quàm erga eos qui holocauſta incendunt. Ipſi tamen ſicut maiores eorum, tranſgreſsi ſunt fœdus meum, & in terra bona, quam illis, vt mihi obtē perarent, dederam, ibidem [h] in verbum meum præuaricati ſunt. Gilad ciuitas eſt graſſatorum ex inſidiis effundentium innocentem ſan guinem. Sicut enim virum obſeruat, qui in turmis prædonum eſt, (ſic) congregantur ipſi, & illorum ſacerdotes [i] eodem modo, conſenſu vnanimi occidunt animas, quoniam impiorum faciunt conſilium. In domo Iſraëlis video fœditatē, immutauerunt pactum, quod cum illis fuerat tranſactum de non colendis idôlis: conuerſi ſunt ipſi, vt poſt vitulos aberrent in Bethelo: ibi Ephraïmitæ aberrāt, & contaminantur Iſraëlitæ. Qui etiam ſunt de domo Iudę, incœperūt ſua augere maleficia: ad illos enim maleficia peruenient, poſtquàm reduxero [k] ego captiuitatem populi mei.

In Cap. 6. Scholia.

a Caldaïſmus. Id eſt: Studebunt legi meæ, ex qua diſcent, quomodo

verè coli,& quo honore affici debeam.

b Dicent.Supple:calamitatis & miseriç pondere preſsi:venite,reuertamur ad cultum domini: & in reliquo verſus eſt ταυτολογία figura Heb.& Cald.familiaris & elegans,qua ad maiorem expreſsionem diuinæ bonitatis & clementiæ,hîc idem aliis atq; verbis dicitur. Pendet autem ſentẽtia ab huius verſus principio vſque ad verſum, qui incipit: V obis quid faciam:&c.

c Caldaïcè.In die viuificationis mortuorum.

d Valde profectò terram fœcundat pluuia, quæ in æſtate paulò ante ſegetem maturam aduenit,vel quæ paulò poſt meſſem confectam,pro ſemente faciẽda Primitiua & ſerotina dicitur illa pluuia à Ioële,Ioël. 2.Vide annot.noſtram illic.

e In Cald.eſt præteritum, adduxi,pro futuro,adducam, ad maiorem certitudinem. Vide finem annotationis literæ *c*.in cap.3.ſupra. Eſt etiã perſonæ mutatio,nempe contra vos,pro,contra illos,quæ quidem frequens eſt Heb.& Cald.prophetico more,vt ſæpe aliàs.

f Id eſt:Deprehendetur iuſtum & ſyncerum iudicium meum,quo in illos animaduertam.

g Eſt antecedens pro relatiuo,nẽpe domini,id eſt, mei:q.d.Erga obſeruatores legis mei. Quod Hebræis & Caldæis eſt familiare. Simile enim ferè Threnorum 3. verſu vltimo videbis: & aliàs ſæpenumero.

h Supple:primum parentem imitati, qui in horto deliciarum à Deo Opt. Max.conſtitutus & admonitus, non potuit ſe continere, quin diuinam voluntatem ibidem tranſgreſſus fuerit.

i Id eſt: Idolorum & vitulorum ſacrificuli cum pſeudoprophetis ob peruerſam ſuam doctrinam,& fœdo ſuo conſilio exemplóq;, non minùs hominum animas perdunt, quàm ipſi graſſatores, qui non pauci ſunt apud illos,corpora. Quando porrò dixit modo eodem: viam malam & ſceleratam illorum viuendi rationem, qualis eſt graſſatorum, intelligit.

k Hiſtoriam attingit & præuidet ipſius Iaroubami filij Ioaſi regis Iſraëlitarum, cuius ſeculo vixit Hoſeas propheta,vt ex huius libri procemio conſtat: Ille enim Iaroubamus, tametſi rex ſceleratus fuerit, à Deo per prophetam Ionam admonitus reſtituit terminum Iſraëlis ab introitu Emathis ad mare ſolitudinis, quẽ à Dauide rege primùm acquiſitum tribui Iudæ,Syriorum reges occupauerant:& ita effecit iam dictus Iaroubamus rex, vt Iudaïcus populus, qui ſuo occupato termino, non minùs à Syris preſſus erat, quàm ſi captiuus ferè fuiſſet, in libertatem priſtinam fuerit reſtitutus, 4. Reg. 14. Ab illo, inquit Propheta,tempore inſolẽtes magis erunt Iudæi,quàm antea fuerint,quoniam

niam ob id ſe deuinctos videbunt Iſraëlitis, & illorum errores ſequentur: atque ita ſine dubio accidit: & propterea tandem poſt Iſraëlitarum exilium ab Aſſyriis illatum, ipſi quoque Iudæi à Babyloniis in exilium propter ſimilia flagitia acti fuerunt. Per reductionem enim captiuitatis populi ſui reſtitutionem iam dicti termini per Iaroubamum regem ipſis Iudæis factam intelligit, cùm alioqui valde preſsi & afflicti fuiſſent à Syris. Cæterùm illos populum ſuum vocat dominus Deus, vt reuocet ab errore lapſos,

Cap. 7.

* Quando exquiro flagitia [a] Iſraëlis, deteguntur ſcelera Ephraïmi, & Samariæ malitia: profectò perfidioſi ſunt, & fures nocturni inuadunt ædes, interdiu quoque in deſerto graſſantur. Non certè ſecum reputant, quòd mihi manifeſta ſint omnia illorum flagitia: propediem circulabunt illos mala ſua opera, quæ mihi nota ſunt. Vanitatibus ſuis exhilarant regem, & mendaciis ſuis principes. Ipſi omnes rem habere cum vxoribus proximorum ſuorum concupiſcunt, æſtuant vt clibanus, quia properare facit illos [b] piſtor: idcirco præproperè ab vrbe ſua exulabunt, quemadmodũ prompti fuerunt ad explendum malum animum (ſuum): propterea etiam quòd immemores fuerunt ſignorum, egregiorúmque facinorum, quæ in illorum gratiam facta fuerũt, in die quo ab Aegypto aſcẽderunt ipſi, & à tempore ſubactionis maſſæ ſine fermento. Die quo conſtituerunt ſuper ſe regem ſuum, principes cum illo cõgræcari incœperunt, (ille verò) manum ſuam porrexit cœtui [c] nugatorum. Certè ſine procraſtinatione peccatorum conſilio ſeſe accommodant, vt fornax æſtuat cor illorũ: poſtquàm de inſi-

diis ponendis tota nocte meditati ſunt, perſiſtit vſque ad diluculũ illorũ excandeſcentia, quę (poſtea) vt ignis flammans comburit. Omnes ipſi feruent vt clibanus, & ſua lingua perfidioſa iudices [d] ſuos iniquitatis accuſant: omnes illorum reges [e] certò de medio tollentur, nec (tamen) eſt inter eos qui preces coram me fundat. [f] Cõmixti ſunt Ephraïmitæ gentibus, ſimiles ſunt Ephraïmitæ placentæ, quæ antequàm in partem alterã verſa ſit, abſumpta eſt. Illorum opes diſsipant [g] exteri, ipſi verò nõ cognoſcunt, inuaſit illos debilitatio, nec animaduertunt ipſi. Deprimetur porrò Iſraëlitarum dignitas ipſis videntibus, eo quòd ad domini Dei ſui religionem non reuertantur, neque requirant illũ in omni hoc (ſuo negotio.) Similes haud dubiè erunt Iſraëlitæ columbæ [h] ſtolidæ quæ quando pulli eius auferuntur, imbecilli eſt animo: Fœdere iuncti ſunt Aegyptiis, in Aſſyriam (tamen) exulabunt. Quocunque proficiſcentur expandam rete [i] meum ſuper illos, vagos illos reddam ſicut eſt volucris cœli, caſtigationes ſuper illos adducam, iuxta id quod audiuerant in congregatione ipſorum. Væ illis, quòd à religione mea longè diſceſſerint: prædones adducam contra eos, quoniam contra verbum meum coniurauerunt: cùm fuerim ego illorum vindex, ipſi tamen mẽdacia [k] loquuti ſunt coram me. Non enim ex animo preces fuderunt coram me, quin in cubilibus ſuis [l] vlulauerunt: ex abũdantia tritici & vini, poſtquàm congregauerũt, rebellarunt contra verbum meum. Quãtùm ego ſuper illos [m] caſtigationes

nes adduxi, & auxi illorum vires, ipſi certè tantùm augere maleficia coram me cogitauerunt. Eò inſolentię proceſſerunt, vt deſciſcant à lege, ᵃnon quòd ego cũ illis nequiter egerim: ſimiles ipſi ſunt arcui ᵉfallaci, illorum primates gladio peribũt: ob linguę ſuæ iactantiam talia eorum erunt opera, vt apud Aegyptios (ſanna) ſint.

In Cap. 7. Scholia.

a Q.d. Quando in mentem venit, & conſidero ego longum tempus, quo primùm contumaces in me & idololatræ eſſe cœperunt Iſraëlitæ, ſubitò extat, & ad hæc occurrit in vitulis pertinax idololatria decem tribuum, per ipſum ſcelerofum Iaroubamum regem filium Nebati introducta, qui Ephraïmita fuit: ille enim, vt iam dictum eſt ſuprà in cap. 1. d. in fraudem impulit decem tribus Iſraëlis, ac ſua falſa & exitioſa vitulorum religione fefellit: quæ omnia in cauſa ſunt, vt tandem obliuiſcar eorum omnium, & illos pro meis recuſem, quandoquidem me & vates meos, non ſine mea iracundia & ſtomacho, regi deterrimo, vitulis & pſeudoprophetis omnino poſtpoſuerunt.

b Per piſtorem illum malum intelligit genium, qui illos ad ſuam explendam libidinem excitabat, ſicuti piſtor ſiue fornacarius excitat ſeruos ſuos, & properare facit illos ad vicatim inclamandum ad ſubigendum paſtam ſiue maſſam, tantiſper dum clibanus accẽditur, vt vbi fermentata fuerit maſſa, & in panes conformata, coquatur in ipſo clibano vehementer calido.

c Alludit vel ad Iaroubamum filium Nebati, qui primus rex decem tribuum ſceleroſus fallacem illam inſtituit religionem colendi vitulos in Bethelo & Dano, & illorum nugatoribus ſacrificulis, quos conſtituerat, & pſeudoprophetis fauit, 3. Reg. 11. 12. & 2. Paral. 11. vel ad Iaroubamum filium Ioaſi, qui fuit ſceleſtus, cuius ſeculo (vt ex prooemio huius libri conſtat) Hoſeas propheta vixit.

d Hoc eſt: Sua iniquitate tanquam impios & maleficos condemnãt illos, quorum ſubire deberent iudicium, ob id quòd eos relictis ſuis exitioſis idôlis, pœnitentiæ & reſipiſcentiæ admoneant, vt cum Deo redeant in gratiam.

e Perpetuum attingit exilium decem tribuum, & tranſlationem ſce-

ptri illarum ad Aſſyrios, quæ quidem nunquam reuerſæ ſunt, nunquámque redibunt: ſceptri quoque Iudæ ad Babylonios primùm, & ad Romanos tandem, quorum adhuc ſentiunt exilium, ſentiéntq; donec fiet vnum ouile, & vnus paſtor: ab illis ſine dubio temporibus ſine regibus & magiſtratibus ſemper fuerunt omnes, tum Iſraëlitæ decem tribuum, quorum ſedes regni erat in Samaria, tum Iudæi cum Beniaminitis, quibus ſedes regni erat Ieruſalē, nec tamen adhuc induci poſſunt, adeò ſunt obſtinato animo, vt debitas per Chriſtum dominum noſtrum Ieſum Nazarenum fundant preces Deo Opt Max. vt à tanta liberentur calamitate & perplexitate, in qua hodie cōſtituti ſunt. Heb. porrò & Cald. eſt præteritum pro futuro, prophetico more, ad maiorem certitudinem, nempe ſublati de medio ſunt: id eſt, certò de medio tollentur reges.

f Exodi 23. g. 34. b. & Deut. 7. a. prohibetur Iſraëlitis fœdus, affinitas & ſocietas cum externis gentibus: quamobrem, quia illis non erat religio, quo minùs hoc facerent, meritò ab Hoſea vate domini hîc taxantur, prędicitúrq; fore, vt citò deſtruantur.

g Hoc dicit propter munera & tributa, quæ regibus Aegypti in vanum pendebant, alíſque extraneis regibus, vt ab Aſſyriis & Caldæis tutieſſent, relicto ſuo vero & omnipotenti Deo, qui verum & certum auxilium eſt: ab eo enim tempore quo dominum Deum colere deſierunt Iſraëlitæ, & ab illo pendêre, in præceps ruere inceperunt: vt ex annalium Regum & Paralipomenon lectione intelligere licet.

h Iſraëlem, quem Hebraïcus contextus Ephraïmum vocat ob Iaroubamum filium Nebati primum regem decem tribuum, qui fuit de tribu Ephraïmi, 3. Reg. 11. columbæ ſtolidæ rectè comparat Propheta, quòd ſe vaſtatum non ſentiat, & ſalutis ſuæ negligens ſit: nam (vt probè ſcribit D. Hieronymus) aues cæteræ pullos ſuos etiam cum periculo vitæ ſuæ protegere feſtinant, & cùm ad nidū ſuum accipitrem, colubrum, coruum, ſiue cornicem accedere viderint: huc illúcque volitant, & immittunt ſe morſu, & vnguibus lacerant, & dolorem parētis querula voce teſtantur: ſola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.

i Id eſt: Vbicunque exulauerint, illic me authore valde prementur ac affligentur: nam omnes vnà à me per Moſem congregati, in deſerto admoniti fuerant, quòd ſi ipſi à me deficerent, aut illorum poſteri, futurum vt ſuorum ſcelerum grauiſsimas pœnas luerēt, quales exprimit Moſes ipſe Deuter. 28. Attingit enim caput illud Deuteronomij lectu digniſsimum, quod hoc in verſu dicitur de congregatione ſiue conſilio eorum. Conuenit porrò optimè, quod hoc verſu dicitur, exilio in

quo

quo adhuc hodie Iudæi ſunt, quandoquidem non minùs captiui ſunt vbique terrarum, quàm ſit auis vel piſcis in reti: ad hæc quotidie ſedibus incertis vagantur: nam modò Gallia, modò Hiſpania, Germania, Italia, Græcia, Aſia & Affrica pro regum & principum libidine & arbitrio pelluntur. Vertere etiam ita potes partem verſus. Caſtigationes adducam contra illos, propterea quòd acquieuerint cõſilio ſuo. Quaſi dicat: quòd ſuæ ſynagógæ homines ſequi maluerint, quàm Deũ ipſum, cui ſanè parendum erat, vt ipſius ſacroſancta lex iubet.

k Q. d. Non illos puduit coram me mendaciter dicere, qui tòtus verax & vbique locorum ſum, ſi quando viciſſent hoſtes, id factum fuiſſe ſuis, vel confęderatorum regum armis & viribus, priuando me honore meo, quoniam ſolus ego victoriam do.

l Hoc eſt: Quando morbo aliquo correpti erãt, aut illos inuaſerat calamitas, ſiue damnum aliquod, vt par erat, & oportebat me inuocare, non inuocabant me, qui tamen ſolus illos iuuare poteram, ſed voce quęrula, & vlulatu quodam in lecto ſuo idolorũ opem implorabant.

m Id eſt: Si quando mittebam in illos perſequutionem, hoc ipſum, vt illos erudirem, faciebam, & ab idòlis recedendo colerent me, ſed fruſtrà à me hòc fiebat: vel etiam per caſtigationes, admonitiones propheticas & increpationes intelligit.

n Q. d. Neque lex mea, quæ tota vera totáque ſancta eſt, neque ego, qui totus verus, totus bonus & totus ſanctus ſum, anſam aliquam præbui illis deficiendi à me, quoniam cum illis multò remiſsiùs ſemper egi, quàm mererentur ipſi.

o Perinde eſt, ac ſi diceret: de ſpe decident ipſi, nec voti compotes fiẽt, ſicuti non fit ſagittarius, quem arcus fallit, ſi manus & oculos non ad ſcopum collimet.

Cap. 8.

Ore tuo extolle vocem tubæ ſimilem, ô propheta: dicito, ecce ſicut aquila, quæ perniciter volat, ſic aſcendet rex [a] cum copiis ſuis, & caſtrametabitur contra ſacroſanctum templum domini, eo quòd fœdus meum tranſgreſsi ſunt, & præuaricati ſunt in legem meam. Omni tempore quo perturbatio inuadebat illos, orabant corã me, & dicebant, nunc cognoſcimus quòd nõ ſit Deus nobis præter te, libera

bera nos,quia ſumus nos populus tuus Iſraëliticus. Aberrarunt Iſraëlitæ à religione mea, cuius cauſa fœlices ego illos reddideram: (ſed) propediē perſequetur illos hoſtis. Ipſi regem [b] conſtituerunt, ſed non ſecundùm præſcriptum meum, principes inſtituerunt, ſed non ex ſententia mea: argentum & aurum ſuum,quæ ex Aegypto ad ſuos vſus attulerant, cōuerterunt ſibi in idôla, propter quæ exterminabuntur. Poſt vitulum aberrarunt, qui ſunt de Samaritano [c] regno, excanduit furor meus contra illos, adeò vt ſeſe purgare non poſsint. Quia ab Iſraëlitis eleuatus ipſe (eſt, &) artifex fecit illum deum, in quo nulla vtilitas eſt, ſine dubio in fragmenta [d] tabularum redigetur vitulus Samaritanus. Similes erunt Iſraëlitæ ei, quod ventus diſſeminat, aut procella præcidit, erūt ſicut ſeges ſtans, [e] in qua curuamen non eſt, quæ non proficit: ſi fortè diuitias congregauerint, exteri diripient illas. Diſsipati ſunt Iſraëlitæ, ſunt nunc inter gentes veluti vas inutile. Exularunt enim ipſi in Aſſyriam, propterea quòd deſiderium animi ſui veluti onager rebellis ſequuti ſint: ceciderunt Iſraëlitæ ſub ditionem gētium, quarum amici fuerant. Verumenimuerò ſi timorem meum in corde ſuo reponāt Iſraëlitæ, ex gentibus exilium illorum reducam: ad hæc ſi ſapiant, [f] breui ab illis auferam tyrannidem regum & principum. Quoniam multiplicauerūt Ephraïmitæ altaria ad peccandum, idolorum ſuorum altaria illis in exitium fuerunt. Scripſeram illis legis meæ [g] præſtantiam, ipſi verò veluti gentiles reputati

tati ſunt. In ſacrificiis, quæ ex rapina [b] colligunt, ſacrificant carnem, & comedunt, ſed non eſt in illis diuina propenſio: propediem illorum flagitia puniet (dominus) & in eorumdem animaduertet iniquitatem: ipſi in Aegyptum [i] redibūt. Dereliquerunt porrò Iſraëlitæ religionem factoris ſui, & fana idolis conſtruxerunt: Iudæi quoque vrbes munitas multiplicarunt, ſed ignem immittam in illorum vrbes, qui eorum conſumet palatia.

In Cap. 8. Scholia.

a Per regem illum Nebucadnetſarem Babyloniorum regem intelligit, à quo expugnata fuit Ieruſalem, & deinde templum domini combuſtum cum domo regis, & primorum omnium ædibus ab Nebuzardano præfecto militum ipſius regis Babylonij Nebucadnetſaris, 4. Reg. vltimo.

b Iaroubamum filium Nebati ſceleſtum regem, inſignémque idololatram intelligit, qui conſtitutus fuit primus rex decem tribuum, 3. Reg. 12. & 2. Paralip. 11. nō ſeruatis cæremoniis & ritibus vngendi reges ſecundùm diuinum ſermonem.

c Per Samariam in qua ſedes regni decem tribuū erat, intelligit omnes ipſas decem tribus, quæ partes ſequutæ ſunt ipſius regis Iaroubami filij Nebati authoris adorandi vitulos in Bethelo & Dano. 4. Reg. 12. Ad verbum autem Caldaïcè legitur. Aberrarunt poſt vitulum Samariæ, &c.

d Q. d. Aſſulatim confringetur ab Aſſyriis vitulus ille, quem Samaritani colunt, hoc eſt, decem tribus, quibus ſedes regni & metropolis eſt Samaria ciuitas, à diebus Achabi. 3. Reg. 16. qui primus in illa à patre ſuo ædificata, regnauit.

e Seges omnino erecta, & quę faſtigium ſiue ſummitatem ſuam non inclinat, præ ſe fert caritatem & penuriam: nam quando onuſtus eſt granis culmus ipſe, inclinare ſolet caput ſuum. Secūdùm porrò R. D. Kimhij lectionem in ſectione nona commentariorum in cap. ſequens vertere etiam ita poteris. Seges ſtans non (erit) illi, fructum non faciet. Legit enim ille נוֹב id eſt, fructum ſiue germen: codex Venetus autem habet נוֹגֵב id eſt, curuamen, à נִגְבָּא lacu ſiue loco demiſſo: ſignificare

f poteſt

poteſt etiam נגוב congregationem, à גבב congregauit, & talis poterit eſſe verſio. Seges ſtans non (erit) illi, congregationem non faciet: grana enim in ſpicis segetũ naturaliter congregantur: & idem eſt ſenſus.

f Euangelicam promittit libertatem, quam qui habent, naucifaciunt fortunæ ludibria, & ſemper ſua ſorte contenti ſunt, quæcunque fuerit illa.

g Q.d. Tametſi ipſi legem meam habuerint, quæ eſt legum omnium præſtantiſsima, excellentiſsimáque, non propterea leges humanas ſequi deſierunt, & gentili more, à me deficiendo, viuere. Potes etiam ita vertere. Illis ſcripſeram præſtantem legem meam, &c.

h Id eſt: Sacrificant ex bonis rapina & iniuria partis: taxat autem illos, quòd iniuſtè opes multas congregarent, & ex eiſdem ſacrificia offerrent domino, qui totus iuſtus eſt, ventris potiùs implendi gratia ex ſacrificatis & oblatis, quàm vt placarent dominũ Deum ad conſequendum & impetrandum veniam culpæ & erratorum ſuorum.

i De reditu illorum in Aegyptum, obſeruatum videbis capite ſequenti, in litera *c*.

Cap. 9.

Ne lætamini[a] Iſraëlitæ, neque iuxta exterorum conſuetudines exultetis: quoniam aberratis à religione Dei veſtri, (&) idôla colere pro ſingulis areis tritici diligitis. De area aut torculari non nutrientur, & vinum non ſufficiet illis. Non redibunt in terram diuinæ[b] maieſtatis, quin in [c]Aegyptum reuertentur Ephraïmitæ, in Aſſyriã exulabunt, (vbi) immundum comedent. Non libabunt coram domino vini libamina, neque cum gratia oblationes illorum excipiẽtur: erunt illorum ſacrificia eis ſicut cibus cõtaminatus, ex quo, qui comedit, impurus fit: certè illorum oblationes pro animabus ſuis non eos expiabũt in ſacroſancta[d] domo domini. Quid facietis diebus ſolennibus,[e] & feſtis domini? Quoniam ecce coram prædonibus exulabunt, congre-

gabuntur

gabuntur in Aegypto, in[f] Maphis ſepelientur: in domibus quibus ſuas ſtuduerant congerere pecunias, ſpinæ manebũt, & feles in palatiis eorum. Inſtãnt dies punitionis, inſtant dies penſationis maleficiorum: cognoſcent Iſraëlitæ, quòd illis vaticinati fuerint veri vates, & illos interturbarint pſeudoprophetæ, ita vt culpam tuam[g] augere fecerint, ſolidauerintq; ſcelus tuum. Libant Iſraëlitæ, quòd idolorum cultus certus illis affirmetur à Prophetis ſuis, pro omni conſuetudine habent, vt fundant prolixas clamoſas preces: exitium eſt in fano Dei illorum. Dediderunt[h] ſe totos corruptioni, ſicut in diebus Gibatha: puniet illorum maleficia, & in eorum iniquitatem animaduertet. Qualis eſt vitis plantata iuxta fontes aquarum, tales in deſerto inueniebat[i] verbum meum Iſraëlitas: quaſi primos fructus in ficu, qui ſunt in ſummitate eleuati, diligebam maiores veſtros: ipſi tamen addixerunt ſe ipſi [k]Baal-peor, & in confuſione aberrarunt, ſiquidem eis pro ſua libidine fuerunt abominationes. Similes erũt Iſraëlitæ aui, quæ auolauit à nido ſuo, & peruagatur, ſic recedet illorum gloria: liberos (enim) non ſuſcipient, & ob viſcerum ſuorum fructum non gaudebunt, propterea quòd auerterint [l] ſeſe, ne in ſacroſancto templo meo comparerent. Quòd ſi filios ſuos educauerint, certè eos orbabo, ne in viros veniant, quoniam væ illis, poſtquàm diuinum fauorem meum ſubtraxero ab eis. Synagoga Iſraël, tantiſper dum legis obſeruationi vacauit, fœlicitate ſimilis erat Tyro[m]: ob otium[n] in ſcelera

 prolapſi

prolapſi ſunt Ephraïmitæ, adeò vt ad idolorũ cultum ſuos mactent liberos. Da illis domine ſalarium operum ſuorum, da illis ſterilem vuluam & arentia vbera. Omnia illorum maleficia mihi nota fuerunt in Galgala, illic proculdubiò odio illos habui proter ſcelerata ſua opera: domo mea ſacroſancta eiiciam eos, nõ illos ampliùs diligam, quoniam omnes optimates eorum ſunt perfidi. Iſraëlitæ ſimiles ſunt arbori cuius cortex ſubter torridus eſt, & ſuper areſcunt rami eius, ne in ſublime creſcant: ſi enim adoleuerint (eorum) liberi, certè interficiam eos, illorum delicias. Abominabitur illos Deus meus: quia non acceperunt illius verbum, certè errones erunt inter exteros.

In Cap. 9. Scholia.

a Q. d. Non more exterarum gentium feſta celebrare & viuere poteſtis Iſraëlitæ, quoniam habuerũt illæ ſemper idôla ſua pro diis, quos nunquam deſeruerunt: vos verò illis longè deteriores, derelinquendo Deum veſtrum verum, viuum & omnipotentem, cui voti vos fideliter ſeruire debebatis, vt maiores veſtri, honorem veſtræ abundantiæ & vilitatis annonæ, illarum ritu idôlis tribuitis.

b Perpetuum hîc vaticinatur exilium: terram autem diuinæ maieſtatis vocat totam terram illam, quam omnes duodecim tribus Iſraëlis habitabant, propter fauorem ſummum quo proſequebatur dominus Deus Iſraëlitas illius incolas, tantiſper dum legitimè illum coluerunt.

c Reditum in Aegyptum prædicit, ac comminatur Iſraëlitis Moſes, ſi dereliquerint dominum Deum ſuum, Deut. 28. in fine cap.

d Q. d. Iam enim deſtructum erit ſacroſanctum tẽplum domini Dei.

e Q. d. Valde affliget vos in exilio & captiuitate veſtra, quando dies veniẽt, quibus in patria veſtra ſolebatis feſta celebrare. Prçteritæ enim fœlicitatis recordatio in calamitate & ærumna vehementer cruciat & exagitat homines.

f Maphis (quam Græci & Latini authores Memphim appellauerunt)

vrbs

vrbs Aegypti fuit, pyramidibus & regum ſepulchris inſignis: illam hodie, qui Alcayrum vocent, non deſunt.

g Eſt perſonæ mutatio, quæ Hebræis & Caldæis frequens eſt, vt ſæpe aliàs diximus.

h Taxat & accuſat illos nefandi flagitij veneris præpoſteræ, qua ſicut Gibaonithæ abutebantur, Iudicum 19.

i Quia Caldaïcum verbum אֶרַע etiam Prouerb. cap. 6. inuenire ſignificat, nõ abſurdum putauimus, hîc etiam idipſum verbum in ſignificatione inueniendi vertiſſe: & ſic verbum ad filium Dei ab æterno ſecundam perſonam ſacroſanctæ Triadis referri poterit. Si autem ipſum verbum אֶרַע per occurrit vertas, hunc verſum ita poteris interpretari. Qualis eſt vitis plãtata iuxta fontes aquarum, occurrebat verbum meũ Iſraëlitis in deſerto. Quaſi dixerit: lex mea illis erat in ſummis deliciis.

k Hiſtoriam attingit, quæ eſt numer. 25. Baal-peor porrò nomen eſt idôli, quod Moabitæ adorabant, ſic dictum, quòd in monte peor (qui & phegor corruptè vertitur numer. 23.) coleretur.

l A tempore enim Iaroubami regis filij Nebati, qui author fuit adorãdi vitulos in Bethelo & Dano, ipſę decem tribus Iſraëlis immemores beneficiorum Dei, pedem retulerunt, ne adoratum irent dominum Deum Ieroſolymam, ſicuti lege præcipiebantur, Deuteronomij 16. & aliàs.

m Tyrus, quæ Hebraïcè & Caldaïcè dicitur Tſor, ciuitas erat antiquiſsima, maritima, munitiſsima & metropolis Phœnices: hæc domina maris & totius nauigationis propter negotiationes, quas cum omnibus maris inſulis exercebat, atque quaſi orbis emporium, vt ex cap. Eſaiæ 23. Ezech 26. 27. & 28. conſtat, meritò poterat appellari. Quondam inſula fuit, ſtadiis quatuor diuiſa à continente, mari præalto, vnde ab Ezechiele in mari ſita dicitur: ſed poſteà vix credibili opere, cõportato aggere ducentos pedes lato, ex lapidibus Tyri veteris, quam diruendam Alexander magnus iuſſerat, multis hominum millibus, cõtinenti ab ortu per Alexandrum magnum iuncta eſt: vt Diodorus Siculus in vita Alexandri Magni, anno 4. lib. 17. tradit. Erat autem in ſorte Aſer, Ioſue 19. quam tamen obtinere non potuit. Cæterùm fœdere iuncta fuit Dauidi 2. Reg. 5. & Selomoni. 3. Reg. 9. Tyri porrò vrbis, & Tyriorum magnanimitatis meminit etiam Ioſephus Antiq. Iud. lib. 9. cap. vlt. & 11. cap. vlt. ſed graphicè magis Diodorus Siculus.

n Probè conuenit hoc loco Hoſeas ſecundùm Ionathanũ Caldæum iſtum interpretem, cum Ieſu filio Sirachi, Eccleſiaſtici 33. Multam malitiam enim, ait ille, docet otium.

o Eò dementiæ & inſolentiæ proceſſerant Hebræi,vt proprios filios in honorem Moloc idôli Ammonitarum viuos cremandos exhiberent in Ge-Hinnom,id eſt in valle Hinnom: quæ vt Hieronymus annotat in cap. 7. Ieremiæ, amœniſsima vallis erat, non longè à Ieruſalem. Sic autem appellatus fuit locus, à viro quodam, cui nomen erat Hinnom, in cuius prædio vallis illa erat: Hebraïcè verò dicitur גיא—הנם Ge-Hinnom,id eſt vallis Hinnom. Dictus etiam eſt locus ille הופת Topheth à תוף Toph, id eſt, tympano, propter tympanorum ſtrepitum :ſaltãdo enim in iam dicti idoli honorem tympana percutiebant, dum pueri cremabantur, ne parentum corda mouerentur puerorum eiulatu,& ad illos ſe conuerterent.Vt autem Rabbi Dauid Kimhius in commẽtariis ſuis in cap.23. 4. Regum ex antiquis ſuis Hebraïcis doctoribus obſeruat:idôlum Moloc imago erat concaua receptacula ſeptem habens. Primum offerendæ ſimilæ aperiebant, ſecundum turturibus & columbis, tertium agno, quartum arieti, quintum vitulo, ſextum boui: ſeptimum verò aperiebatur, ſi quis cremandum offerre volebat filium. Facies porrò idôli illius vitulum referebat,expanſas vt homo habebat manus & ad recipiendum ab aſtantibus paratas. Quando autem non comburendos, ſed ſacris idôli Moloc initiandos offerebant filios aut filias, extruebant pyras duas hinc & inde, & idôli ſacrificuli initiandos per medium illarum pyrarum pedibus tranſire faciebant.Hoc verò cùm ex contextu biblico, tum ex iam dicto Kimhio, Aben Ezra, & Rabbi Selomone in capite 18. Leuitici, atque etiam ex Rabbi Leui ben Gerſon in cap. 23.4. Reg. colligere licuit. Cultum huius abominandi idôli in terra Iſraëlitarum toleraſſe, primus Selomo rex legitur,3. Reg.11. Quem cultum quoque Acham rex,4.Reg.16.& Manaſſes,4.Reg.21.etiam tenuiſſe leguntur. Proinde Ge-hinnom ſiue corruptè Ge-hẽna locus abolitus & fœdatus fuit à Ioſia rege,qui pius admodum & religioſus fuit,4 Regum 23.Huius denique loci,qui etiam dicitur גיא בֶן־הנם id eſt, vallis filij Hinnom, & deſtructionis illius meminit Ieremias capitibus 7. 19. & 32. Pro inferno porrò ſiue loco in quo perpetuas pœnas luunt ſuorum ſcelerum, qui flagitioſè vixerunt, ſumitur ſæpenumerò in ſacris literis, propter loci inſignem turpitudinem & fœditatem.

p Sancti quomodo mala imprecentur hominibus iſthac lege, videlicet ſi non reſipiſcant, & mores corruptos emendent illi,vide in obſeruationibus noſtris in verſum vltimum capitis .1. Lamẽtationum Ieremiæ infrà.

q Galgala meminit adhuc ſuprà c.4.vbi facta à nobis eſt obſeruatio.

r Cal-

r Caldaïcè: ne eleuationem faciant:vel ſecundum D. Kimhij lectionem: ne fructum faciant. Vertimus autem per pluralem numerum, tametſi Caldaïca vocabula ſingularis numeri ſint hoc loco.

Cap. 10.

Vitis diſsipata ſunt Iſraëlitæ, qui vitis accepta erant,quando agebant lege: fructus operũ ſuorum in cauſa fuerunt illis vt exulent: quando illis auxi prouentum, cultum altarium ſuorum auxerunt, quando effeci,vt in terra ſua proſperè illis ſuccederet, fuerunt erga ſimulachra ſua ſtudioſiores. Abſtractus eſt à lege illorũ animus:modò ſcelera exercent,modò contra illos adducam hoſtem,qui illorum aras [a] ſubuertet, & eorum dirumpet ſtatuas. Propediem proculdubio dicent, nõ eſt rex [b] nobis: eo quòd non timuerimus à domino,quid(quæſo) rex nobis prodeſt? Tyrannico loquuntur more,in vanum iurant,& fruſtra [c] pangũt fœdus: breui adducam contra illos mendaciorũ ſuorum iudicium, veluti colubrorum maleficorum venena per agrorum cõfinia.Propterea quòd [d] vitulos colant in Bethelo, contra illos aſcendet rex cum copiis ſuis, & eos in exilium aget: tollent ab illis [e] Samaritanum vitulum,certè propter illum populus eius lugebit, & illius ſacrificuli, qui propter illum exultant ob celebritatem eius,quæ ab eo recedet.Ipſum in munus ſine dubio regi in aſſyriam deferent,qui(hoſtiles copias)ad ſumendum de illis pœnas venire faciet:Prædixerat illis propheta:confuſio Ephraïmitas inuadet, & pudore ſuffundetur Iſraëlitæ, ob ſynagôgæ

nagôgæ ſuæ conſilia. Samaritana confuſio (deprehendetur) in rege eius, ſicut ſpuma in aquæ ſuperficie. Subuertetur profectò fanum Betheli, Iſraëlitarum maleficia in cauſa ſunt illis, vt exulent: ſpinæ & tribuli ſerpent ſuper eorum altaria: propediem perturbationis genus adducã ſuper illos, quo perinde erunt, ac ſi montes operiant illos, & colles ſuper eos cadãt. A diebus Gibatha peccaſtis Iſraëlitę: illic [f] inſurrexerunt, præuaricati ſunt in verbũ meũ, conſtituendo ſuper ſe regem: veruntamen non meruërunt, vt illis conſtabiliretur regnũ in Gibatha, illuc contra illos profecti ſunt milites ad cædem faciendum, qui patres cum liberis ſuſtulerunt. In verbo meo contra illos adducam caſtigationes, & contra eos [g] cõgregabo populos, qui illis dominabuntur, ſicuti pari [h] boum ligato ſuper oculos ſuos. Similis eſt Synagôga Iſraëlitarum vitulę, quam [i] arationi aſſuefaciunt: non enim ſolutiore libidine viuendo pietati ſtudere voluit, tametſi ego ex oppreſsione Aegyptiaca liberauerim illos, à ceruicibus eorum iugum durum abſtulerim, collocauerímque ipſos Iſraëlitas in potenti Amoreorum regione, qui ab illis ſubiugati ſunt: Iudæis quoque ipſis hæreditatem poſsidendam dederim, quam illorum patri Iacobo certò promiſeram. Benè operamini vobis Iſraëlitę, per veritatis ſemitam incedite, & legis doctrinam exequimini vobis: ecce dixerũt aſsiduè vobis vates: reuertimini ad [k] domini timorem, propediẽ cõſpicuus fiet, & iuſtificationes adducet vobis. Rapinã vobis excogitaſtis, exercuiſtis impietatem,

impietatem, operum veſtrorum [l] mercedem recepiſtis, eo quòd fiduciã [m] habueris in moribus tuis, & viribus multis. Surget haud dubiè tumultus in populo tuo, & dabũtur in præceps propugnacula tua, ſecũdùm ſubuerſionem [n] Selama ex inſidiis, in die belli, quo mater ſuper filios occiſa eſt. Eorũdem in cauſa erũt maleficia veſtra, quæ in Bethelo commiſiſtis: propter reproba opera veſtra confuſus erit [o] tandem & opprimetur rex Iſraëlitarum.

In Cap. 10. Scholia.

a Cald. Torquebit ceruicem ararum ſuarum: vel torquebit ceruicem illorum, quando erunt ad aras ſuas.

b Q. d. Poſtquàm ſerò ſapient & videbũt hoſtes ſuos ſe & rege ſuo armis potentiores, dicent: nunc nobis eſt rex inutilis, nam nobis perinde eſt, ac ſi non haberemus regem, quandoquidem offendimus dominum Deum, per quem, & non per carnalia tantùm arma, reges regnãt, & principes imperant: itaque reſipuiſſe præſtabat, & Deum habuiſſe pacatum, quàm illo derelicto fidiſſe viribus humanis.

c Ipſi perfidi omnino ſunt, neque promiſsis ſtant: vel etiam intellige per: fruſtra pangunt fœdus: Supple de colendis vitulis & idolis derelicto domino Deo, qui in vlciſcendis ſceleribus longanimis eſt & cunctator, vt reſipiſcentiæ tempus detur peccatoribus: vltima porrò verſus parte prædicit hoſtium ferocium impetum & incurſiones eorundem in agros illorum, qui omnino vaſtabuntur, & deplorati erunt.

d Adorati fuerunt ab Iſraëlitis vituli duo, alter in Bethelo, & alter in Dano, 3. Reg. 12. ſed hîc tantùm meminit Betheli, quòd illic fuerit magis celebris & præcipuus. Hac de re ſuprà in caput primum plura vide.

e Samaritani vituli meminit, non quòd fanum aliquod in honorem illorum vitulorum eſſet in Samaria, ſed quòd Samaria regni decem tribuum metropolis, cuius erat deſtruere & abolere illorum cultum, tota ab illis, tanquam ſi Deus eſſent, penderet.

f Vel etiam vertas, licet: Illic ſteterunt: Supple, in propoſito petendi regem à Samuële: attingit autem hiſtoriam, quæ eſt 1. Reg. 8. Saül por-

rò primus rex Iſraëlis de Gibatha & Beniaminita fuit: ſed, vt videmus, regnum illius perpetuũ non fuit: nam ad Aſſyrios & Babylonios tranſlatum eſt. Attingit ad hæc hoc in verſu facinus indignum Gibaonitarum, propter quod à tribubus cæteris, tota ferè tribus Beniamini fuit deleta, Iudicum 19. & 20.

g Videtur attingere exilium in quo Iudæi nunc ſunt propter ipſum verbum Dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab eis impiè cruci affixum: cuius admonitiones & correctiones admittere noluerunt.

h Boues, quando iugantur, ſolent cornibus ligari, & illorum frons ſuper oculos loris tegitur, obducitúrque. Potes etiam ſecũdùm Venetam æditionem vertere. Qui illis dominabũtur ſicuti pari boum iugato, propter duas iniquitates illius: hoc eſt, propter duorum vitulorum, quos Iſraëlitæ ipſi in Bethelo & Dano colebant, adorationem. Nos tamen in hac noſtra verſione Rabbi Selomonis lectionem vt magis planam & certam ſequuti ſumus, qui in diuerſum videtur incidiſſe codicem à Veneto cum lectione Maſoretarum conueniente, quæ ex ו facit י in Hebraïco contextu, vnde mihi minùs plana videtur.

i Id eſt: Iſraëlitæ non ex animo & amore, ſed veluti coacti & ex timore mihi ſeruiũt, ſicut indomita vitula, quæ non niſi coacta arare ſolet. Proponit autem deinde illis vates, & in memoriam reducit diuina beneficia, vt illos ad reſipiſcentiam conuertat & inclinet, antequàm ſupplicij tarditas compenſetur pœnæ grauitate.

k Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei & hominis hoc verſu prædicitur aduentus.

l Præteritum eſt pro futuro prophetico more, ad maiorem rei certitudinem ſignificandam: id eſt, profectò recipietis mercedem, &c.

m Eſt numeri mutatio, quæ Hebræis & Caldæis frequens & familiaris eſt.

n Hiſtoriam attingit cladis, quam quidam nomine Selama, qui Hebraïcè dicitur Salman, incautis quibuſdam intulit, quæ tamen hiſtoria literis nõ eſt mãdata in ſacris libris, qui extãt: bona pars enim ſcriptorum Hebr. vel tẽporis iniuria, vel aduerſis bellis & calamitoſis exiliis, intercidit, vt annales Regum, quorum epitoma ſunt libri Regum & Paralipomenon, & alij multi libri, vt ſunt ſcripta Gadi, Nathani, multa Selomonis opera, atque aliorum: ſed quum ſinguli ſcriptores diuini, quos nobis ſeruauit Deus Opt. Max. ſciẽtiam vniuerſam benè beatéq; viuendi ampliſsimè contineant, iactura illa æquo animo ferẽnda eſt: quoniam quis tam demẽs & veſanus eſſet, qui ſuſpicari auderet Deum ipſum, qui filio ſuo vnigenito non pepercit, quin tradidit illum in mortem crucis pro nobis peccatoribus, voluiſſe libros perire, qui nobis ad

ſalutem

ſalutem noſtram conferre poſſent:ea autẽ hiſtoria ſuum Iſraëlitis proponit exitium ſummum. Non porrò referri poteſt hiſtoria hæc ad Gedeonis hiſtoriam, Iudicum 8. vt permulti putauerunt: nam Salman, ſiue (vt vulgata habet æditio) Salmana ſcribitur Hebraicè per literam ש Sin in Hoſea: in libro Iudicum verò per צ Tſade, & verè legitur Tſalmuna, in quo etiam nomine ע Aiin litera expreſſa eſt, quæ Latinis aut Græcis literis exprimi non poteſt: in Hoſea porrò in Salman ſiue Salmana nulla ע Aiin litera videtur. Cæterùm qui Hebraïcè legere tantummodò nouerit, facilè hoc totum depredendet.

o Contextus Hebraicus ad verbum habet. In aurora excindendo exciſus eſt rex Iſraëlis. Caldaicus verò habet: In fine confuſus & oppreſſus eſt rex Iſraëlis. Nos verò facilitatis rationem habentes vertimus tandem, pro, in fine. Auroram porrò per finem vertit, ſiue pro fine vſurpat Caldæus paraphraſtes Ionathanus, eò quòd finis ipſius noctis ſit ipſa aurora, ſiue primum crepuſculum.

Cap. II.

Cùm [a] pueri eſſent Iſraëlitæ, certè dilexi eos, & ex Aegypto [b] illorũ filios vocaui. Vates meos miſi ad docendum illos, ipſi verò illis aſtantibus, idôlis ſacrificantes aberrarunt, & ſimulachris incenderunt aromata. Ad hæc per angelum à meipſo miſſum deduxi ego Iſraëlitas per commodam viam, atq; illos quaſi ſuper brachia portaui: veruntamen non cognouerunt q̃ clemẽter à me tractati fuerunt ipſi. Præmio filiorum colentium pietatem nimia clemẽtia pellexi eos: quandoquidẽ verbum meum fuit illis veluti bonus agricola, qui boum humerũ alleuat, & fræna relaxat: etenim quando in deſerto erant, in ratione cibi auxi illis fœlicitatẽ. In terram Aegypti non reuertentur, quoniam illis dominabitur Aſſyria, eo quòd mores emendare renuerint: Irruet haud dubiè gladius in ciuitates illorum, for-

tes eorum occidet,& ob Synagôgæ illorum conſilia eorundẽ ſuccidet primates. Populus certè meus ſe couertere ad legem meam [c] ambigit,ſed vnà corripientur infirmitate graui, vt corpore erecto non incedant. Quomodo [d] tradam vos ô Ephraïmitæ! perdam vos ô Iſraëlitæ! quomodo diſsipabo vos vt [e] Adma! ponam vos ſicut Tſeboiim! ſuccurrit memoriæ verbum pacti mei, coram me pariter illigata eſt parentum veſtrorum dilectio. Non [f] exequar iræ meæ excandeſcentiã,neque ad diſperdendum Iſraëlitas conuertetur verbũ meum: quoniam Deus ego, verbum meum in æternũ permanet: non enim ſunt opera mea ſicut mortalium inhabitãtium terram: ſic decreui in verbo meo,vt inter vos ſit mea ſancta diuinitas, non profectò ad aliam tranſibo ciuitatem præter [g] Ieruſalem. In domini religione viuẽt, [h] Verbum illius erit veluti leo rugiens,ſiquidem idipſum rugiet, & ab [i] occidente colligetur captiuitas. Sicut volucris quæ euidenter venit,venient,qui exulauerint in terra Aegypti, & ſicut reuertitur columba in colũbarium ſuum, ſic redibũt, qui extorres fuerint in terra Aſſyriorum, in pace enim reducam eos [k] domos ſuas,&verbum meum auxiliabitur illis, dicit dominus. [l] Inſignes mendaces fuerũt Ephraïmitæ,impoſtores quoque inſignes Iſraëlitæ: Iudæi verò in religione conſtantes fuerũt, donec è terra ſua migrauit populus Dei: illi enim, quia colebant me in ſacroſancto templo, vocabantur populus ſanctus, & idcirco ſtabiles [m] erant.

In Cap.

In Cap. 11. Scholia.

a Pueros vocat Iſraëlitas, quando in Aegypto captiui & imbelles erant ſub ſæua Paraonis tyrannide.

b Cùm lege cautum ſit Deut. 4. & 12. nihil addendum aut minuendum ex verbis Dei: Iudæi tale quid aduerſus ipſum contextum biblicum non audentes, fortaſsis ipſius Ionathani Caldæi interpretis contextum hoc loco corruperunt, ac immutauerunt: cùm vt poſteris ſuis, eo quòd apud illos ipſe Ionathanus ſummæ ſit authoritatis & primæ notæ, fucum facerent, eis celando noſtrę Chriſtianæ religionis myſteria: tum nobis ipſis Chriſtianis de viro illo benè ſentientibus, eo quòd (vt ſuprà in præfatione ad lectorem oſtendimus) domini noſtri Ieſu Chriſti præceſſerit tempora, & ſic omni mala Iudaïſmi ſuſpicione careat. Hebraïcus porrò contextus habet. Ex Aegypto vocaui filium meum: & illum fideliter iuxta Hebraïcam veritatem citat diuus Matthæus, cap. 2. Vide D. Hieronymi commentaria in hunc locum, quem Τυπικῶς doctiſsimè interpretatur ille: ibidémque canis impij Iuliani Apoſtatæ probè reſpondet calumniis.

c Hoc eſt: Reuocant in dubium legem meam, & de illa inter ſe diſputant, an vera ſit: cùm tamen illos non lateat ex libris maiorum ſuorum, & eorundem auditione, me, qui totus verax ſum, illam eis dediſſe per Moſem, méque illius verum authorem eſſe. Per infirmitatem porrò grauem, qua vnà corripientur, vt non erecto incedãt corpore, aſperam belli cladem, durum & miſerum iugum ſeruitutis, in quam omnes ab Aſſyriis addicti fuerunt, 4. Reg. 17. intelligit.

d Inuitat illos dominus Deus ad reſipiſcentiam benigniſsimè eos affatus, ne inuitus tandem in eos ſeuerè animaduertat propter ſua ſcelera, in quibus perſiſtebant ipſi pertinaciſsimi.

e Adma & Tſeboiim nomina ſunt ciuitatum Pentapoleos regionis, quæ cum Sodoma & Gomorrha deuoratæ fuerunt. Regio enim illa Pentapolis dicebatur à quinque ciuitatibus, quibus inclyta erat, quæ omnes igne & ſulphure fuerũt euerſæ: nomina porrò illarum quinque ciuitatum ſunt, Sodoma, Gomorrha, Adma, Tſeboiim & Segor: earum autem ſuorúmque regum meminit ſcriptura Geneſ. 14. & aliàs.

f Hoc dicit dominus, ſi illos pœniteat, & reſipiſcant, pactum legis ſeruando.

g Per Ieruſalem vniuerſam fidelium in Chriſto domino noſtro intelligit Eccleſiam.

h Per domini verbũ Chriſtus dominus & redẽptor noſter intelligitur: de illo enim dicitur Apoc. 5. Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid.

i Vnius ouilis & paſtoris vnius prædicitur tempus, quo Iudæi qui à Romanis vſque in occidentem in exilium acti fuerunt, ad Chriſtum dominum noſtrum conuertẽtur: Legitur autem Hebraïcè in hoc verſu à mari, quod Caldæus iſte interpres vertit: ab occidente, quoniam ſolent Hebræi & Caldæi per ipſum mare plagam occidentalem intelligere, eo quòd internum ſiue mediterraneum mare occidentem verſus ſit ipſi Ieruſalem & terræ ſanctæ.

k Benignè pollicetur finem laborum & requiem, quæ tandem propter Chriſtum dominnm noſtrum fidelibus obuenit in regno Dei.

l Caldaïcè ad verbũ ſecundùm lectionem Veneti codicis vertendum eſt. Auxerunt coram me mendacia, qui ſunt domus Ephraïmi, & per impoſturas ſuas, qui ſunt domus Iſraëlis. Secundùm verò D. Kimhij lectionem: Auxerunt coram me mendacia, qui ſunt domus Ephraïmi, & filij conſumptionis ſuæ, qui ſunt domus Iſraëlis. Id eſt: Etiam Iſraëlitæ authores ſui exitij & interitus inſignes impoſtores fuerunt. Cæterùm per Ephraïmitas idem intelligit vates, quod per Iſraëlitas, nempe decem Iſraëlis tribus, quæ partes Iaroubami primi regis illarum, 3. Reg. 12. ſequutæ ſunt: decem tribus enim illæ per Ephraïmũ, vt iam aliàs diximus, intelliguntur, quòd Iaroubamus ille primus illarum rex de tribu Ephraïmi fuerit, 3. Reg. 11. Eſt porrò hîc quædam Tautologiæ figurę ſpecies, quę frequens & elegãs Hebręis & Caldæis eſt, qua idem aliis atque aliis verbis dicitur ad maiorem expreſsionem. Cur autem miretur Kimhius quòd paulò poſt hîc legerit Ionathanus עַמָּא vbi Hebraïcè eſt hodie עִם ſecundùm authores punctorum, non video, quoniam Ionathani tempore (à cuius opinione non temerè propter venerandam antiquitatem recedendum eſſe puto) puncta ſeu notę vocalium nondum fuerant inuentę, & ob id lubricus erat Hebraïcus cõtextus, ita vt duæ iſtæ literæ ם ע hîc עִם id eſt, cum, vel עַם id eſt, populum (vt Ionathanus tranſtulit) ſignificare poſſent: habebatur enim legendi Hebraïcè ratio per manus maiorum, donec poſt Hieronymi tempora fuerunt doctiſsimi quidam Hebræi, quos Maſoretas vocant, qui videntes ob exilium quo à Romanis premebantur & diſperſi erãt, & in quo adhuc ſunt, linguam Hebraïcam peſſum ire, niſi ſuo ſtudio & diligentia tanto malo occurreretur, nobis expreſſerunt patres illi circunciſi, quãtum in ſe ipſis fuit, notis quibuſdam vocalium, antiquam legendi Hebr. rationem, quam hactenus per manus maiorum habuerant à Moſis & Ioſuæ temporibus.

m Id eſt: Tantiſper dum me Iudæi in meo duntaxat ſacroſancto Ieroſolymitano templo ritibus debitis & legitimis coluerunt, ſtabiles fuerunt in

runt in regno ſuo, hoſtéſque ſuos propulſabant: verùm, ait vaticinando Propheta, poſtquàm decem tribus exulauerunt, quas vocat populum Dei ob fauorem ſummum, quo proſequutus fuerat olim illos Deus, vicini magis & finitimi fuerunt Iudæi ipſis gentibus, quę ab Aſſyriis per colonias ad habitandum terram decem tribuum miſſæ fuerant, 4. Reg. 17. Ioſeph antiq. Iud. lib. 9. cap. vlt. ne videlicet regio deſerta & inculta ob tãtum exilium maneret, & in illarum idololatriam tandem inciderunt, vnde illorum ruina & exitium.

Cap. 12.

Similes ſunt Iſraëlitæ ei, quod [a] ventus diſſeminat, aut tempeſtas præcidit: quotidie mendacia & prædam augent, fœdúſque cum Aſſyriis [b] inierunt, atque etiam in Aegyptum deferunt munera. Iure profectò contendit dominus cum [c] Iudæis, & cum Iacobæis, vt animaduertat in eos pro meritis illorum: ſecũdùm enim recta illorum opera eis rependet. Dicebat illis vates: nonne Iacobum, antequàm natus eſſet, dominum conſtituerat (Deus) vt ditior eſſet fratre ſuo? & robore ſuo angelo præualuit? Præualuit angelo, & ſuperior euaſit, [d] fleuit & rogauit illum, in Bethelo factus eſt conſpicuus illi, & ibidem [e] nobiſcum loquutus eſt. Propheta dicito illis: ille eſt dominus Deus exercituum, qui cognitus fuit ipſi Abrahamo, Iitſaco, & Iacobo, cuius [f] memoria, ſicut certè dicere fecit per Moſen, erit per omnia ſecula. Vos igitur religioni Dei veſtri innitamini, pietatem & iudicium obſeruate, aſsiduéque ſperate in redemptione Dei veſtri. Ne ſitis ſicut mercatores (nonnulli) in quorum manibus doloſa ſtatera eſt, ad ſurripiendum à proximis. Dicunt Ephraï-

Ephraïmitæ:profectò diuites facti ſumus,prædam inuenimus nobis:vates dicito illis:nullę diuitię veſtræ ſtabiles vobis fient tempore ſalarij maleficiorũ. Ego haud dubiè dominus Deus tuus ſum, qui eduxi te de terra Aegypti:adhuc habitare faciam te in [g] tabernaculis,ſicut antiquitus. Loquutus enim ſum cũ prophetis, & multiplicaui ego prophetias, quas per prophetas miſsitaui. Si ſint in Gilad graſſatores, in fano [h] Gilgalæ vtique idôlis boues ſacrificant,adhęc aras ſuas multiplicant veluti cumulos apparentes in agri terminis. Vates dic illis: nónne [i] Iacobus pater veſter in regionem Syriæ ſe contulit? & Iſraël ſeruiuit pro [k] vxore, ac pro vxore gregem ſeruauit? Ad hæc etiam poſtquã in Aegyptũ deſcendiſſent patres veſtri, [l] vatem miſit dominus, & Iſraëlitas de Aegypto aſcẽdere fecit,qui per (eũdem) etiam ſeruati [m] fuerunt prophetam. Peccata augentes Ephraïmitæ, odium in ſe ſtruxerunt, verùm ſanguinis innocentis, quem effuderunt,culpa in ipſos redundabit, & ſuum opprobrium reddet illis ipſorum dominus.

In Cap. 12. Scholia.

a Per ventum & tempeſtatem intelligit,quos colebant Iſraëlitæ vitulos,qui quidem illorum ruinæ,exitij & deſtructionis cauſa fuerunt.

b Q.d. Fœdus inierunt cum Aſſyriis, qui illos Deo permittente tãdem vaſtabunt, & deducent in exilium, eo quòd ad auxilium humanum confugerint relicto vero Deo,à quo ſolo pẽdere illos oportebat.

c Per Iudæos regnum Ieroſolymitanum (quod conſtabat tribubus Iudæ & Beniamini) intelligit: per Iacobæos verò regnum Samaritanum,quod erat ex aliis decem tribubus, 3.Regum 12.& 2.Paral.11. & vtriuſque diſperditionem futuram inſtinctu afflatúq; diuino prænuntiat

tiat ipſe Hoſeas vates.

d Geneſeos 32. in hiſtoria Iacobi, quando luctatus eſt ille cum angelo domini, non legitur fleuit: quòd meo iudicio vocabulum Hebraïco contextui adieciſſe videtur Hoſeas propheta fidus ſacræ ſcripturæ interpres ſpiritu diuino afflatus, vt videlicet Iſraëlitæ flendo rogarēt dominum Deum, vt illis benediceret ipſe, & grauiſsima, in quæ prolapſi erant, ſcelera illis cōdonaret, patris ſui Iacobi imitatione: Iacobus patriarcha enim, tametſi nihil peccarat, quadam naturæ bonitate commotus, aut fortaſsis nimio gaudio perfuſus, quòd angelum domini alloquutus eſſet, flendo rogauit ipſum angelum, vt ei benediceret: neq; proptereà mireris lector, propter vocabulum fleuit, quòd adiecerit illud Hoſeas ipſi hiſtoriæ Geneſeos: nam Chriſtus dominus & redemptor noſter verus legis interpres ſimile etiam feciſſe legitur, Matth. 19. & Marc. 10. quandoquidem citans ſententiam, quæ Geneſ. 2. ſcripta eſt, legit. Et erunt duo in carne vna. Cùm tamen Hebraïcè tantùm legatur, Et erunt in carne vna. D. Paulus quoq; 1. Corinth. 6. & Epheſ. 5. legit. Et erūt duo in carne vna. Quod vocabulū, duo, exiſtimo à Chriſto domino, quem nihil latebat, & D. Paulo verbis Geneſeos conſultò adiectum fuiſſe, eóſque verſionem ſeptuaginta toleraſſe, in locis iam citatis, ad tollendum vxorum ſimul pluralitatem, quoniam vnius vxoris duntaxat virum, & non plurium vnà oportet eum eſſe, qui maritus in Chriſti Eccleſia eſſe vult: huic adiectioni vocabuli, duo, certè fauet, quod præcedit in ipſo verſu Geneſeos: quandoquidem non dixit: Proptereà relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxoribus ſuis, ſed dixit: & adhærebit vxori ſuæ. Hebræi porrò & illos ſequuti, referunt vocabulum, fleuit, ad angelum, ſed quàm rectè, non video. Si autem nobis Chriſtianis obiicere velint Iudæi Chriſtum dominum noſtrū verbis ſcripturæ veteris addidiſſe, & idipſum eſſe nephas: reſpondebimus Hoſeam prophetam hoc loco, & aliàs cap. 13. vt à nobis obſeruatum reperies, priùs feciſſe ſimile. Vterque porrò hoc fecit, non addendi, ſed interpretandi gratia: nam reclamaret alioqui lex, quæ vetat aliquid addēdum, imminuendúmve ex verbis Dei, Deut. 4. & 12. Simile etiam in D. Matthæi Euangelio, cap. 2. videmus, quando citant illic ſacerdotes & ſcribæ ipſi Herodi Micheæ prophetiam: Et tu Bethlehem terra Iudæ, nequaquam minima es in milibus Iudæ: ex te mihi prodibit, qui ſit dominator in populo meo Iſraëli. Vbi ſecūdùm Heb. veritatem in Michea non leguntur vocabula, terra, nequaquam, & in populo meo: ſed interpretandi gratia, & vt facilior eſſet ipſa prophetia ipſi Herodi extero & ſacrarum literarum ignaro, addiderunt illa rectè ſacerdotes & ſcribę Heb. contextui, rationem veri ſenſus haben-

tes: ad hæc communiori & vſitato magis nomine vſi ſunt illi cum ipſo externo & profano Herode, dicendo potiùs Beth-lehem Iudæ, quàm Beth-lehem Ephratha, quod antiquum nomen vrbis erat, Geneſ.35. illóque vſus eſt ipſe Micheas. In aliis porrò ſcripturæ locis videre ſimile poteris, & idem eſto iudicium.

e Alludit fortaſsis ad etymologiam nominis Bethel, quod domum Dei ſignificat: & templum intelligit Selomonicum, ac denique Chriſti domini noſtri Eccleſiam: nam in Hebraïco & Caldaïco contextu legitur: loquetur, non autem loquutus eſt: tametſi loquutus eſt, verterimus nos, ſequuti Latinos ex Hebræo interpretes.

f Attingit domini Dei colloquium cum Moſe, quando illi primùm in rubo dominus apparuit, ac illum eodem in colloquio iterum alloquutus eſt, Exod.3. ſe nominando certo ac proprio ſuo ſanctiſsimo nomine יְהוָה Iehoua (quod ineffabile vanis Iudæis eſt): יְהוָה enim grauiſsimum & ſanctiſsimum pietatis & miſericordiæ nomen eſt, ſiue rationem creationis & originis noſtræ habeamus, ſiue beneficiorũ quæ in dies à Deo Opt. Max. accipimus, quoniam ſignificat יְהוָה eum, qui eſt, ſolum Deum, & cuius beneficio omnia ſunt.

g Promittit illis fauorem ſuum dominus, & ſummam, ſi reſipiſcant, fœlicitatem, quam per habitationem in tabernaculis intelligit: quoniam ſanctos patres olim in tabernaculis habitaſſe, qui fuerunt chariſſimi Deo, certum eſt.

h Suprà cap.4. de fano Gilgalę memini, quod non procul erat à Gilad, in quo fano dummodo obtuliſſent, vt credebant, licebat illis malum & facinus quoduis perpetrare.

i Parentis illorum Iacobi geſta, qui multos pertulerat labores, & fidelitatem eius erga Deum & homines proponit illis vates, vt ipſi Iſraëlitæ illius poſteri parentis ſui imitatione ſimile faciant: atque etiam eoſdem otio & rebus abundãtes hortatur vſq; ad finem capitis, vt maiorum ſuorum labores ſummos, & perpeſſu difficiles, quos ſuſtinuerant in Aegypto, ſecum recolant, & infinita propemodum erga ſe recognoſcãt beneficia Dei Opt. Max. antequam grauior ſeruitus, quàm fuerit illa Aegyptiaca, eos inuadat. Vt autem ſenſus aſſequaris facilitatem, iungendus eſt verſus iſte verſui ſuperiori, qui incipit: Dicebat illis vates, &c. In illo enim verſu iam narrare Iacobi Patriarchę geſta inceperat, taxando Iſraëlitarum animum multorum beneficiorum in ſe à Deo collatorum immemorem, & etiam degenerem virtutis patris ſui Iacobi, à quo genus ducebant, quæ in hoc abſoluit: verùm non habita ordinis ratione, alia multa inter iam dictos duos verſus inſeruit,

quæ

quæ plurimùm faciunt ad inclinãdum eorum animum ad pœnitẽtiam.

k Hiſtoriam illam Iacobi leges Geneſ. 29.

l Per vatem illum miſſum, Moſem intelligit, Exod. 4.

m Alludit hoc loco ad tranſitum maris rubri, & ad alia multa grauiſsima pericula, quæ Iſraëlitæ ipſi euaſerũt, duce Moſe ſeruo domini.

Cap. 13.

Quando loquebatur (olim) Ephraïmita aliquis, illorum terror nationes inuadebat, augusti enim erant in Iſraële: ſed poſtquam eò [a] proceſſerunt, vt idôla colant, diſperibunt. Nunc haud dubiè peccare augent, nam fecerunt ſibi fuſile de argento ſuo, & iuxta ſimilitudinẽ ſuam ſimulachra, artificum opus omnia illa ſunt: eos inducunt in errorem ipſi pſeudoprophetæ, qui operi manuum hominũ boues ſacrificant, & mactant vitulis. Idcirco erunt ſicut [b] nubes matutina, & ſicut ros cuius humor euaneſcit, ſicut gluma, quam vẽtus tollit de area, & ſicut fumus ex ignea aduſtione. Ego verò dominus Deus tuus ſum, qui aſcẽdere feci te de terra Aegypti: ne ergo Deum præter me agnoſcas, quãdoquidem præter me non eſt ſeruator. Ego quæ ad vſum veſtrum pertinebãt, ſuppleui in deſerto, in terra, in qua deſiderium veſtrum expleuiſtis. Poſtq̃ cibaui illos, ſaturati profectò ſunt, & elato fuerũt animo, vt propterea religionem meam deſeruẽrint. Verùm erit illis verbum meum veluti leo, & veluti pardus inſidians iuxta viam. Obueniet illis verbum meum veluti [c] vrſa orbata, & cordis illorũ improbitatem diſcerpam, trucidabo quoque ibi illos, vt ſolẽt leonum catuli: ſicuti feræ dens, qui dilaniat, diſsipabo

eos.[d] Quando vos Iſraëlitæ corruptis viuebatis moribus, exteri vobis dominabantur: quādo etiam ad legem reuertebamini, verbum meum auxilium veſtrum erat. Vbi nūc rex tuus? & liberet te in omnibus vrbibus tuis? & iudices tui? de quibus dixeras: [e] conſtitue ſuper me regem & principem? Conſtitui ſuper te regem in ira mea, certè auferam eum in furore meo. Recondita ſunt maleficiā Ephraïmitarum, omnia illorum flagitia, vt puniantur, aſſeruata ſunt. Perturbatio & timor, vt ſunt dolores parturientis, inuadēt illos: ipſi filij adulti ſunt, ſed non ſapiunt, vt agnoſcant timorem meum: propediem enim cōtra illos perturbationem adducam, qualis eſt mulieri, quę ſedet in ſella partus ſui, neque vires pariendi illi ſunt.[f] Iſraëlitas ipſos de homicidę manu redemi, & à carnifice liberaui illos: breui[g] erit verbum meum inter illos ad occidendum, &[h] ſermones mei ad vaſtādum: propterea quód in legem meam præuaricati ſint, ſubtraham diuinum fauorem meum ab eis. Quoniam ipſi vocati ſunt filij, & reprobis operibus ſe dediderūt, propediem potentem regem cōtra illos adducam veluti ventum vehementem: ſecundùm mandatū domini aſcendet à via[i] deſerti, & ærarium eorum exhauriet, ſubuertétque metropolim regni illorum, fluere quoque faciet ipſe omnis ſupellectilis expetibilis theſauros.

In Cap. 13. Scholia.

[a] Rabbi Selomo & Dauid Kimhius pro תְּבוּ legunt חֲבוּ & ſecundùm illorum lectionem vertere oportet. Sed poſtquàm adeò deliquerunt,

runt,vt idôla colant,diſperibunt i. omni clade belli vaſtabuntur, quia hoſtium impetū ſuſtinere non poterunt, ſicut olim ſuſtinebāt tantiſper dū dominum Deum ſuum colebant, & omnino ab illo pendebāt. Per Ephraïmitas verò hoc loco (vt ſæpe aliàs in ſcriptura) decem tribus Iſraëlis intelligit,eo quòd, vt iam diximus, Iaroubamus filius Nebati, primus rex decem tribuum de tribu Ephraïmi fuerit, 3.Reg.11. per Iſraëlem porrò hoc in verſu omnes duodecim tribus intelligito.

b Prænuntiat vates citò perituras decem tribus Iſraëlitarum,eas rectè comparando rebus fugacibus, fluxis & parum durabilibus: facilè enim manè Sole caleſcente diſsipantur ac euaneſcunt nebulæ & ros: gluma quoque à vento pulſa & fumus,materia ignis deficiente, facilè euaneſcit & abigitur.

c Vt ſummam venturi hoſtis immanitatem & feritatem oſtēdat,meminit Hoſeas vrſæ orbatæ catulis,& non feræ alicuius alius,quoniam (vt ait Plin.lib.8.cap.36.) vrſarum fœtus ſunt candida & informis caro paulò muribus maior,ſine oculis,ſine pilo, cui tantùm vngues prominent:hanc lambendo paulatim figurant,& (vt Hebræi dicunt) obuoluta eſt maſſa illa carnea informis, quando ex vtero prodit membrana in vrſis ipſis craſsiſsima (eam medici ſecundas appellant) quæ, propterea quòd non ſine multo labore diu illam lambendo conſumi poteſt, vt ſæuiſsimæ ſint vrſæ, efficit, quando perdunt illæ ſuos catulos, in quibus figurandis, poſtquàm nati ſunt,tantoperè laborarunt.

d Hoc verſu multas libri Iudicū & Annalium Regum attingit hiſtorias, quibus videre licet multas Iſraëlitici populi in dominum Deum præuaricationes & ſcelera, propter quæ Deo permittente hoſtes illos inuadebant,qui ſtatim,vbi reſipiſcebant Iſraëlitæ,Dei Opt.Max. ope & auxilio fugabantur, vt de Gedeone, Iephta, & permultis aliis legimus: hoc autem illis à vate proponitur, vt alta mente reponerēt,quàm tutum & vtile ſit ad dominum Deum poſt ſcelus admiſſum redire, & ab illo omnino pendere.

e Hiſtoriam attingit 1.Reg.8.de qua iam ſuprà,cap.5.In libro porrò Regum principis non fit mentio, quod vocabulum etiam Hebraïco contextui adiectum eſt ab Hoſea propheta, interpretationis gratia: vt iam ſuprà de re ſimili diximus in cap.12.

f Fideles omnes per Iſraëlitas intelligit:illi enim veri ſunt Iſraëlitę,& fœlices, qui partes domini noſtri Ieſu Chriſti ſequuti ſunt, ſequuntur, aut ſequentur, quoniam illius morte confractis diaboli vinculis,ab inferno ſunt liberati: æternam porrò mortem homicidæ nomine intelligit, inferni verò tortores & miniſtros per carnificem. Dixit autē Caldęus interpres non temerè,redemi,pro redimam,& liberaui, pro libe-

rabo,ad maiorem rei certitudinem ſignificādam,vt ſolent ſæpenumero prophetæ.

g Alia lectio habet יְחִי id eſt.viuet:& ita contextum vertes.Breui viuet verbum meum inter eos ad occidendum, &c. Vbi Chriſtus dominus & redemptor noſter manifeſtè oſtenditur, ꝙ verè homo factus fuerit.

h Optimè conuenit hoc ſententiæ Chriſti domini noſtri dicentis, Matth.10.Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram:non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam:& inimici hominis domeſtici eius. Hæc enim diuortia omnia fuerunt, & ſæpenumerò ſunt apud infideles & hoſtes religionis domini noſtri Ieſu Chriſti propter eius Euangelium. Vel etiam per verbum Chriſtum dominum,intellige conuenienter cum D. Paulo,1.Corinth.15.hūc locum Oſeæ citante: & ita locum intelligito. Breui erit verbum meum inter eos:id eſt, Chriſtus filius meus, ad occidendum:ſupple,per mortem eum qui mortis habebat imperium: id eſt,diabolum, Heb.2.& ſermones mei ad vaſtandum:ſupple, quia virtus peccati lex 1.Corin.15. Obſeruatione enim Euangelij,Chriſti veri anteſignani noſtri mortem atque infernum ſuperamus.

i Meminit viæ deſerti, eo ꝙ (vt D.Kimhius ait) deſertum eſſet inter Iſraēlitas & Aſſyrios,à quibus omnino vaſtatæ fuerunt decem tribus, 4.Reg.17.

Cap. 14.

Offendit Samaria, quòd contra verbum meum rebellauerit:gladio interficientur, collidēt(hoſtes) paruulos illorum,& eorūdem grauidæ diſcindentur. Reuertere Iſraēl ad religionē domini Dei tui, quoniam ob maleficiū tuum corruiſti. Vobiſcum verba confeſsionis offerte, & conuertimini ad cultum domini: dicite coram illo: accipe penès te ad condonādum iniquitates, & excipiamur heu tanquam boni, verbáque labiorū noſtrorum accepta ſint apud te,veluti gratum ſacrificium boum ſuper altari.

altari. Regum Aſſyriç(aliquis)non ſeruabit nos,in equorum curribus non cõfidemus, neque poſthac opus manuum noſtrarum nuncupabimus Deum noſtrum:per te miſericordiam conſequuti ſunt patres noſtri,quãdo fuerũt in Aegypto heu tanquam pupilli. Suſcipiam eos in pœnitẽtia ſua, flagitia ſua illis remittam, quando ſponte conuertentur, quoniam indignatio mea ab illis recedet. Erit [a] Iſraëlitis verbum meum veluti ros, ſicut roſa florebũt, & habitabunt in potẽti patria ſua ſicut arbor Libani, quæ diffundit ramos ſuos. Multiplicabũtur liberi, & illorum ſplendor erit, ſicut ſplendor ſacroſancti [b] candelabri:erit quoque odor eorũ,ſicut odor aromatici ſuffimenti. Congregabuntur de exilio ſuo, ſub vmbra Meſiæ ſui habitabũt, & viuent mortui: multiplicabit quoque Meſias fœlicitatem in terra: memoria porrò probitatis illorũ ſublimis erit, neque deficiet,veluti memoria clãgoris tubarum ſuper vino [c] vetere, quod in ſacroſancto templo libatur.Dicẽt Iſraëlitæ,quorſum nos idôla adhuc colemus? ego per [d] verbũ meum orationes ipſorum Iſraëlitarum accipiam, ac propter idem diligam: per verbum meum reddam ego eos ſpecioſos velut [e] abietes,penés me ob pœnitentiam illorum indulgentia inuenietur. Quis ſapiens qui iſta perpẽdat? prudens & cognoſcat ea? recta haud dubiè ſunt mandata domini, & iuſti,qui illa obſeruant,in vita æterna propterea viuent: improbi verò [f] Ge-hennæ tradentur,eo quòd non obſeruauerint illa.

In Cap.

In Cap. 14. Scholia.

a Iſraëlitas ſecundùm carnem intelligit, qui Ieſu Chriſti domini noſtri partes ſequuti ſunt,& ſequētur: nos Chriſtianos quoque intelligit, qui per fidem ſumus filij Iſraëlis, Rom.9. Per potentem verò patriam, Eccleſiam Chriſti intelligit, quæ nunquam ſubcumbet, ſed ſemper in illa ſicut palma florebunt iuſti ſuis bonis & probatis moribus, quibus à Chriſto inſtructi erunt.

b Alludit ad elegantiſsimum & excellētiſsimum candelabrum Moſaïci tabernaculi, Exodi 25.

c Rabbi Selomo Caldæum ſequutus interpretem Ionathanum, dicit, quòd, interim dum Leuitæ canticum dicebant, tubarum fieret clangor ſuper ipſa libamina: vinum autem quod in illis fundebatur, ſi qua huic loco habenda eſt fides, vetus erat, & vocat illud Heb. contextus vinum Libani, eo ꝙ vina Libani montis vetuſtatem ferrent, nec facilè annis cederent, quia optima erāt. De vini libamine vide Leuit. 23. numer. 15. & 28.

d Exorabilem ſe præbet nobis dominus Deus, & grati illi ſimus per Chriſtum dominum noſtrum filium ſuum, qui Dei & hominum eſt mediator, 1. Timoth. 2. Hebr. 8. 9. & 12. Noſtra enim pax Chriſtus ipſe eſt, qui fecit vtraque vnum, medium parietem maceriæ ſoluens. Epheſ. 2. In illo certè ſibi complacuit Deus, Matth. 3.

e Rectè comparat Hoſeas fideles Chriſti domini noſtri veri Verbi Dei ſectatores Abïeti arbori, cuius folia non decidunt, quæ arborum omnium altiſsima rectiſsimáque in cœlum ramos tendit, non habens illos in latera pronos, quæ pondus validè ſuſtinet, firmiſsima ad tecta eſt, & valüarum repagulis aptiſsima. Hæc autem de Abïetis arboris natura, vide apud Plin. lib. 16. nat. hiſt. capitibus 21. 30. 39. & 42.

f De Ge-henna ſuprà ſatis meo iudicio obſeruatum comperies in annotationibus, in cap. 9. N.

TARGVM SEV PARAPHRASIS CALDAICA, QVAE ETIAM SYRIACA DICITVR, IONATHANI CALDAEI ANTIQVISſimi ,atque fidiſsimi ſacrarum veteris Teſtamenti ſcripturarum interpretis, in ſacram Ioëlis vatis domini prophetiam, nunc primùm latinitate donata:interprete Iohanne Quinquarboreo Aurilacenſi, linguarum Heb. & Cald. Regio profeſſore.

Cap. 1.

SErmo prophetiæ,quem dominus habuit cum [a] Ioële filio Pethuelis. Audite hoc ſenes [b], & aures adhibete omnes habitatores terrę:an tale quid accidit tempore veſtro? aut priſcis ſeculis? Horum filiis veſtris mentionē facite, & filij veſtri filiis ſuis, filij quoque eorum ſuis poſteris. Reſiduum [c] erucæ profectò conſumet locuſta, & reſiduum locuſtæ bruchus, bruchi quoque reliquias robigo. Edormite ebrioſi & flete, vlulatéq; omnes vini potatores propter vinū merū,quoniam ſine dubio adimetur ab ore veſtro. Aſcēdet enim [d] gens ſuper terram meam valida & innumerabilis,dētes eius leōnini, & molares illius ſicut catuli leonū. Certè vineta populi mei defrugabit: ficus quoque illius,quas omnino decorticabit,& abiiciet,miſerationem commouebunt,albeſcent(enim)illarum rami. Complora ſynagôga Iſraëlis,ſicut virgo accincta ſacco ob mariti(demortui,)cui in iuuētute nupſerat,deſiderium, quo mouetur. Ceſſabunt haud dubiè oblationes & libamina è ſacroſancto templo domini, lugebunt certè ſacerdotes qui in eo miniſtrant. Vaſtati proculdubiò

erunt agri, deſolata erit regio, quoniam deficiet frumentum, areſcent vineta, & oliueta marceſcēt. Erubeſcite agricolæ propter triticū & hordeum, quia certò meſsis agri peribit: vlulate vinitores. Areſcent ſine dubio vites, & flacceſſent ficus: mala punica, palmæ etiam, & pomus, omnéſque arbores campi exareſcent: deinde à filiis hominum gaudium ceſſabit. Amicite vos (ſaccis) & plāgite ſacerdotes: ingemiſcite miniſtri altaris: ingredimini (templum,) pernoctate in ſaccis miniſtri Dei mei, quoniā oblationes libationéſque ademptæ certè erunt à ſacroſancto templo Dei veſtri. Comparate vos ad ieiunium, aduocate concionem, congregate ſenes, omnes habitatores terrę, & ingredimini ſacroſanctam domum domini Dei veſtri, atq; preces coram domino fundite.[e] Heu diem, inſtat etenim dies, quem adducet dominus, & veluti vaſtitas à domino omnipotente veniet. Nonne ad hoc, quòd coram nobis re vera erit magna annonæ caritas, ceſſabit ſine dubio à ſacroſancto templo Dei noſtri gaudium & exultatio?[f] Rimas proculdubiò agent vaſa vinaria ſubter fundum ſuum, pro derelicto habebūtur [g] horrea, ruinoſæ fient apothecæ, quoniam deficiet frumentum. Iumentum valde ingemiſcet, extabeſcent armenta boum, quoniā deerunt illis paſcua, ouium quoque greges conficientur. Coram te domine preces [h] fundo, quoniam vehemens orientalis ventus veluti ignis certè corrumpet habitationes deſerti, & æſtus omnes arbores agri torrebit. Ad hæc feræ ad te reſpicient, quoniam areſcent

aquarum

aquarum ſcatebræ, & vētus oriētalis vehemens veluti ignis profectò conſumet deſerti latebras.

In Cap. I. Scholia.

a Ioël vates domini, vt Hebræorum traditiones & ſcripta teſtantur, Ieroſolymitanus & prophetæ filius fuit. Claruit autem, vt ex Hebræis ſcribunt nonnulli, regnante Ioramo filio Achabi regis Iſraëlitarum: quandoquidem dominata eſt fames ſeptem annos ſeculo ipſius Iorami regis, vt 4. Reg. 8. legitur. Quatuor autē primis annis cauſam fuiſſe famis & caritatis annonæ, dicunt iidem Hebręi interpretes quatuor locuſtarum ſpecies à Ioële vate hìc memoratas, quæ inuicem ſibi ſucceſſerunt, frugúmque fecerunt diſperditionem: tribus verò annis reliquis cauſa fuit famis pluuiæ retentio, ſiue ſiccitas, qua toto illo trienio plurimùm laboratum eſt. In quo probabilitas maior videtur, quàm ꝙ ſub Manaſſe rege floruerit Ioël propheta iſte, quandoquidem nulla famis in ſacris voluminibus fit mentio ſeculo Manaſsis. Veruntamen annales quidam Hebræorum, quibus titulus factus eſt סֵדֶר עוֹלָם Seder Olam, loquuntur Ioëlem, Nahum & Habaccuc Manaſſe regnante vaticinatós eſſe, ſed quia ſceleroſus fuit Manaſſes rex, honoris cauſa non illum nominarunt viri illi diuini: & fieri potuit (ſi qua annalibus illis adhibenda eſt fides) vt tanta comminatione, quanta eſt hæc, perterritus à Ioële rex Manaſſes ad dominum Deum pœnitentia ductus reuerſus fuerit: nam huic ſententiæ fauet, quòd omnia Manaſsis regis geſta, & prophetarum nomina, qui illa ætate vixerunt, eúmque admonuerunt pœnitentiæ, literis mandata non extent, vt ex 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33. colligere licet. Aben Ezra tamen apud Hebræos cognomine ſapiens, fatetur ingenuè ſe ætatem, qua Ioël propheta vixit, ignorare. Poteſt etiam fames iſta & clades locuſtarum harum non fuiſſe, ſed prophetam Ioëlem eam minatum eſſe futuram, niſi reſipiſcerent, moréſque corruptos emendarent Iſraëlitæ, in quos inuehitur, propter culpam ſuam in dominum Deum, qua valde Ioëlis tempore tenebantur. Scriptura enim ſæpenumero ex conditione loquitur: vt Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Qui Ionæ locus (ſicut & iſte poteſt intelligi) ex conditione intelligendus eſt, videlicet niſi reſipiſcant Niniuitæ: ſiquidem propter verba illa Ionæ non euerſa fuit Niniue ciuitas, eo quòd Niniuitas peccaſſe pœnituerit: ſic quoque impeditus eſſe potuit aduentus iſte locuſtarum reſipiſcentia & pœniten-

tia hominum, quorum vitia, quibus cumulati erant, reprehendebat Ioël. Non denique deſunt ex Hebræis interpretibus, qui dixerint Ioëlem prophetam filium Samuelis prophetæ fuiſſe, alludentes ad nomen פְּתוּאֵל Pethuel, quod perſuaſionem Dei ſignificat: nam aiunt, quia Samuel orationibus ſuis Deo perſuadebat, atque ſibi eum exorabilem reddebat, binomius eſſe potuit, quare quando Ioël dixit: Sermo prophetiæ, quem habuit Dominus cum Ioële filio Pethuelis: perinde eſt, ac ſi dixiſſet, cũ Ioële filio Samuelis. Cæterùm hoc mihi non ſatis probatur: nam Samuelis filij ſcelerati fuerũt & corrupti iudices, 1. Samuelis 8. Terret autem primùm hac prophetia, & comminatur, vt ad pœnitentiam trahat & deducat homines vates, poſteà verò per aduẽtum Meſiæ, & Spiritus ſancti miſsionem, ac vitam beatam, quam his, qui cãdidè vixerint, promittit dominus Deus, eoſdem conſolatur.

b Senes ipſos primùm alloquitur, vt attentionem moueat, vtque terrorem illis incutiat, eo quòd illi (tametſi gnari ſint temporum & hiſtoriarum) nunquam tantam audiuerint cladem, quanta erit iſta, quæ eis imminet, niſi admiſſorum flagitiorum illos pœniteat.

c Erucam appellant Hebręi גָּזָם Gazam, id eſt tonſuram, ſiue abraſionem, à גָּזַז Gazaz totondit, eo quòd omnia è terra naſcentia tondeat & abſumat: Caldæi זַחְלָא Zahala vocant, à verbo זְחַל .i. ſerpſit, quòd ſerpendo per humum omnia vaſtet & perdat. Locuſta ab Heb. אַרְבֶּה Arbé, id eſt multitudo, à רָבָה multiplicauit, dicitur: à Caldæis verò גּוֹבָא Goba, id eſt, collectio, à גָּבַב congregauit: quòd videlicet in magno numero veniat, atque (vt Prouerb. 30. legitur) veluti turmatim procedat. Locuſtis pars quædam Aethiopum tantùm viuit, fumo & ſale duratis in annua alimenta: & homines illi quadrageſimum vitæ annum non excedunt. Plin. lib. 6. cap. 30. Parthis autem hę in cibo gratæ. Plura de locuſtis vide in Plin. libr. 11. cap. 29. Matthæi 3. quoque legimus D. Iohannem Baptiſtam pro cibo locuſtis vſum fuiſſe. Bruchus Hebraïcè dicitur יֶלֶק Ielec .i. liguritio, à לָקַק lãbit, eo ꝙ herbas lãbat & exugat: Caldaïcè פִּרְחָא Pirha, id eſt motatio ſiue curſitatio, à פְּרַח motauit, curſitauit, quòd huc illúc que vaſtando fruges curſitet & ſubſiliat. Robigo porrò Heb. חָסִיל Haſil .i. perditio, ab חָסַל perdidit, vocatur, ꝙ fruges euaſtet & deprauet: Cald. vocatur שְׁמוֹטָא Semota, id eſt euulſio, à שְׁמַט euulſit, extraxit, quòd extrahat fructus & grana de ſede & theca ſua, in qua vẽtura erant illa in frugẽ bonam.

d Quem-

d Quemadmodum Græci,& deinde Romani omnes nationes & populos præter ſe barbaros vocabant: ita quoque Hebræi omnes populos præter ſe hoc nomine גוי Goy.i.gentem communiter vocauerunt. Deinde hoc eodem nomine גוי Goy appellant congregationem omnem rerum animatarum: ſicuti hoc loco hoc nomine vſus Ioël de locuſtis loquens dixit: Aſcendet enim gens ſuper terram meam, &c. Simili quoque modo vtuntur hoc vocabulo עם .i.populus,vt in principio capitis 2. huius libri,& Prouerb.30.vbi ad bruta tranſit. Cæterùm non me latet D. Hieronymum aliósque grauiſsimos theologos intellexiſſe per erucas, Aſſyrios & Babylonios, qui Iſraëlitarum & Iudæorum regione omni clade belli peruaſtata,primi eos omnes grauiſsimo exilio amandarunt: per locuſtas, Medos & Perſas intelligunt, ad quos Babylonicum tranſlatum eſt imperium, quíque vſque ad Cyri Perſarum regis tempora duro admodum exilio Iudæos ipſos preſſerunt: Bruchos dixerunt Græcorum imperium ſignificare, quod vſque ad Romanorum dominium durauit: Robiginem verò,Romanam monarchiam, cuius cladem adhuc hodie ſentiunt, ſentiéntq; donec ouile vnum & paſtor vnus fiet,quo tempore Iſraëlis reliquiæ ſaluæ fiêt. Sed quia noſtrum non eſt nos alienis plumis exornare, aut priuare ſua laude & gloria quenquam, te ad illa doctiſsima remittimus commentaria.

e His verbis præſcribit Iſraëlitis propheta orandi modum & rationem ,qua pacatum dominum Deum & ſibi propitium redderent.

f Summam vini caritatem prædicit: nam quãdo fatiſcunt rimis modij ſupter fundo,ſignum eſt magnæ ariditatis & defectus vini in illis.

g Q.d.non ſartatecta habebunt agricolæ horrea, cæteráque frugum repoſitoria, quoniam nihil habebunt ex frugibus, quod in illis reponant,& conſeruent.

h Q.d.Propheta: Rogo te domine, vt ſententiam mutes,quãdoquidem ſi non mutaueris ſententiam, non ſolùm æſtu nimio conſumentur paſcua,quibus deſerta abundant, ſed etiam turbinibus, & vrentibus ventis tuguria, tabernacula & caulæ ſubuertentur: inuitat autem tanto imminente periculo, Iſraëlitas exẽplo ſuo ad orationem & pœnitentiam, vt à conſilio Deum reuocent, ne tantum immittat malum, quantum hoc eſt.

Cap. 2.

Clangite tuba in Tſiione, concedite in mõtem ſanctum meum, cohorreãt omnes habitatores ter-

ræ,quia ſine dubio adueniet dies domini, certè inſtat. Dies erit tenebricoſa, caliginoſáque, dies nebuloſa & turbida: ſicut lux matutina expāſa ſuper mōtes(ſubitò veniet)[b] populus multus & validus, cuius ſimilis nunquā fuit priſcis ſeculis, nūquámque futurus eſt ſequentibus annis. Ante illum[c] erit ignis deuorans, & poſt eum exurens flamma: ſicut hortus amœnus erit regio ante(aduentum)illius, poſtea verò deſertus vaſtus: adhæc nullū erit apud illum effugium improbis. Sicut aſpectus equorum erit illorum aſpectus, moréque equitum current. Veluti currus ſtrepitum edentes, ſuper montium cacumina[d] ſubſilient, ſicut ignis flammans, qui(agros)veluti ſtipulam ſiccam exuret, ſonitum præbebūt: erūt veluti bellicoſus populus, qui in aciem deſcendere nouit. Coram illo cohorreſcent populi, omnium facies obducentur ſquallore, veluti caldarium nigri fient. Current vt fortes, vt ſtrenui bellatores murum conſcēdent, ſinguli incedēt ex ordine, & in ſuo itinere non tardabunt. Nullus ſocium ſuum coartabit, ſinguli ordinatim procedēt,[e] euntes, quocunq; ipſi miſsi erunt, ſtragem facient, neque lucro ducentur. In ciuitate diuerſabuntur, diſcurrent per murum, domos inuadent, & per feneſtras veluti fures intrabunt. Corā illo vaſtata erit regio, commouebuntur cœli, ſol & luna lurida fient, & ſtellæ retrahent ſplendorē ſuum. Dominus quoque ſuffragabitur exercitui ſuo, qui certè numeroſiſsimus erit, audaces viribus profectò erunt exequentes mandatū eius: quoniam magni momenti

erit

erit dies, quam adducet dominus, & horrifica valde, quis quæſo illam poterit ſuſtinere? Nunc igitur dicit dominus, reuertimini ad cultum meum toto animo veſtro, atque etiam ieiunio, fletu, & lamento. Abigite quoque impietatem cordis veſtris, ſed non veſtrorum veſtimentorum[f] laceratione, quin redite ad domini Dei veſtri religionem, quia benignus & miſericors eſt, iracundiam reprimens, totúſque ęquo & bono deditus reuocans ſententiam ſuam, ne afflictionem[g] immittat. Qui ſe ſceleribus maculatum cognoſcit, depellat illa, & miſericordiam conſequetur: quicũque enim pœnitentia ducetur, veniam delictorum ſuorũ impetrabit, & benedictiones ac conſolationes accipiet: oratio quoque illius erit veluti viri, qui oblationes & libamina offert in ſacroſancto templo domini Dei veſtri. Clangite tuba in Tſiione, comparate vos ad ieiunium, aduocate concionem. Cõgregate populum, reparate eccleſiam, accite ſenes, adducite paruulos, & ſugentes hubera: egrediatur ſponſus de thalamo ſuo, & ſpõſa de nuptiali cœna ſua. Inter veſtibulum & altare plorẽt ſacerdotes, qui coram domino miniſtrant, dicántque: parce domine populo tuo, & ne hæreditatem tuam in vituperationẽ venire permittas, vt dominentur illis exteri: quare dicant in externis nationibus, vbi eſt (tẽpus) quo liberabantur in[h] verbo Dei ſui? Parcet haud dubiè dominus terræ ſuæ, & miſerebitur populi ſui.[i] Reſpondebit enim dominus, & dicet populo ſuo: ecce ego in gratiam veſtrum benedicã frumento, vino & oleo,

abun-

abundéque ſatisfacient illa: neque poſthac permittam vos ob famē inter barbaros vexari. Quinimo populum, qui venerit ab [k] Aquilone, procul à vobis amandabo, ac relegabo illum in terram deſolatam & vaſtam: primū illius (agmen) in mare orientale (pellam,) poſtremū verò in occidētale, & aſcendet putor eius, diffundétque ſe grauis odor illius, eo quòd deterrim[9] fuerit. Ne timeas terra [l] Iſraëlis, exulta & lætare, quoniam beneficentiſsimus erit tibi dominus propter populum ſuum. Ne formidetis beſtiæ agri, quoniam [m] celebrationem habebunt habitacula deſerti, quoniam re vera proferet arbor fructum ſuum, ficus & vites fructus ſuos reportabunt. Vos quoque filij Tſiionis exultate, & lætamini in verbo domini Dei veſtri, quoniam certò præbebit vobis [n] doctorem veſtrum in iuſtitia, demittet etiam in fauorem veſtrum [o] primitiuam pluuiam tempeſtiuè, & ſerotinam in luna Martij. Et replebuntur horrea frumento, & redundabunt cupæ vino, olearia vaſa quoque oleo. Nam [p] retribuā vobis annos fertiles, pro annis quibus prædati ſunt vos populi, nationes, barbari, & prætores, regnū quoque vindictæ, exercitus meus magnus quem cōtra vos miſi. Affatim comedetis, & ſatis [q] vobis fiet, celebrabitíſque nomen domini Dei veſtri, qui ꝓ vobis miracula edidit: nō ſemper profectò in probro erit populus meus. Et ſcietis ꝙ in medio Iſraëlitarū manere fecerim [r] diuinitatem meam, & (quòd) ego dominus Deus veſter, neque eſt (alius) vltrà: non enim probro erunt Iſraëlitę populus

pulus meus longo tempore. Et erit poſthac: [f] effundam Spiritum ſanctum meum ſuper omnem [t] carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabũt, & viſiones videbunt iuuenes veſtri. Præterea etiã ſuper [v] ſeruos & ſuper ancillas in diebus illis effundam Spiritum ſanctum meum. Et ponã prodigia [x] in cœlo & in terra, [y] ſanguinem & ignem, atque columnas nubium. Conuertetur ſol in [z] tenebras, & luna in ſanguinem, antequàm adueniat futurus (ille) dies à domino magno & tremendo. Et erit: omnis qui Dei maieſtatem appellauerit, ſeruabitur, ſiquidem in monte Tſione & in Ieruſalem [&] erit aſylũ, ſicut dicit dominus, ſuperſtitibus videlicet, quos vocauerit ipſe.

In Cap. 2. Scholia.

a Q.d. Tuba conuocate populum in templum domini Dei, & conferte conſilium, vt antequàm tanta clades per locuſtas imminens adueniat, reſipiſcere poſsitis, vobíſque fiat delictorum veſtrorum gratia.

b Pergit in ſua ſimilitudine propheta, qua ſuprà, capite primo locuſtas appellauit gentem validam, cuius dentes leonini erant.

c Q.d. non minùs longè latéque vaſtabitur à locuſtis regio veſtra, niſi orationibus ad dominum Deum, & pœnitentia illas arceatis, ne veniant, quàm ſi turpiſsimis incendiis ab hoſte truce & crudeli deformaretur illa.

d Hoc eſt: Nullus erit locus tam deuius, inacceſſus, aſper & ſalebroſus, quem non tranſcendant & ſuperent vaſtandi gratia locuſtæ, ſi quid herbidum aut viride in illo fuerit.

e Sequutus lectionem D. Kimhij citantis in commentariis ſuis ipſum Ionathanum, quia melior & locupletior videtur, q̃ ſit illa codicis Veneti, vt hìc vides, hunc locum verti. Secundùm autem Venetam æditionem ita vertes. Quocunque ipſi immittent ſe, ſtragem facient. Sed ea quam ſequor Kimhiana lectio melior mihi videtur ex præcedentibus

verſibus, quibus dixit illos bellatores diſciplinam militarem obſeruaturos: veri enim milites, niſi iuſſu principis aut ducis ſui aliquo miſsi fuerint, ſuas ſtationes non deſerunt.

f Solebant antiquitus Hebræi in planctu & lamento ſua dilacerare veſtimenta, ſicuti de Iacobo Geneſ.37. legimus, quando illi à filiis ſuis denuntiata eſt mors chariſsimi filij ſui Ioſephi, & de Dauide in morte Saülis, 2. Samuel. 1. aliíſque permultis: quam conſuetudinem Ioël (quia ex hypocriſi erat illa tempore ſuo) hoc loco taxat: quandoquidem ſui ſeculi homines externa quadam triſtitia pœnitentiam ſimulabant, remanēte corde illorum implicito, & obducto ſuorum peccatorū ſorde.

g Supple: ſi reſipiſcant, & illos peccaſſe pœniteat.

h Q.d. Impedi domine, ne magno noſtro dedecore barbaræ nationes nobis improperent, ac dicant: vbi eſt tempus, quo Iſraëlitæ obſeruatione legis Dei ſui, tuti ab omni periculo erant?

i Id eſt: Si modo hîc à me vobis præſcripto (ait Vates) ſyncera mēte, & candido pectore dominum Deum oraueritis, ſe exorabilem præbebit ille vobis, & benedictione ſua omnia quæ ad vitam veſtram neceſſaria ſunt, augebit. Benedictio Dei enim ſæpenumerò, vt aliàs diximus, in ſcriptura abundantiam ſignificat, maledictio verò penuriam.

k Non deſunt claſsici authores cùm Chriſtiani tum Hebræi, qui per populum illum nō ſolùm locuſtas intellexerint, verùm etiam deletum exercitum Saneribi regis Aſſyriorum ab angelo domini in obſidione ipſius Ieruſalem, 4. Reg. 19. & Eſaïæ 37. Sunt enim Aſſyrij Septētrionales ipſi terræ ſanctæ, & fieri potuit vt reliquiæ cladis ab angelo domini metu perculſæ, tērritæ & fuſæ, longè latéq; peruagatæ ſint: quod per primum & vltimum agmen, ſiue per aliquot primos & vltimos ſuperſtites fuſi exercitus intelligit.

l Eſt hîc Proſopopœïa figura, qua rei inanimatæ ſenſum tribuens, ſummam vaticinatur propheta fertilitatem, & bonorum abūdantiam.

m Q.d. Celebrabūt & verſabūtur in caſis & tabernaculis ſuis paſtores ꝑ more reducēdo armēta & greges in deſerta, quæ herbaſcere nō deſinēt, & ornamentum ſuum non amittent, ſi meo faciatis conſilio, vt ad dominū Deū ex animo cōuertamini, ait Vates. Per talem porrò celebrationem habitaculorum deſerti, intelligit atq; oſtendit Ioël diligentiam & ſtudium verorum paſtorum gregis domini tempore turbulento, duro & atroci: huiuſmodi enim ita ſeduli & vigiles paſtores, quales fuerunt, & ſunt Chriſtianæ religionis proceres, ſuis bonis moribus, eruditione & doctrina euangelica palantes homines, & extra ſepta Eccleſiæ poſitòs reduxerunt, atq; in dies reducunt in fertiliſsimum agrum domini, qui eſt catholica Eccleſia vnica ſponſa Chriſti domini

& redem-

& redemptoris noſtri. Cæterùm, ab iſto verſu ad finem vſque prophetiæ ferè omnia ad Chriſtum dominum noſtrum, vel illius eccleſiam referuntur.

n Per doctorem illum Ieſum Chriſtum dominum noſtrum filium Dei viui æquiſsimum iudicem intelligit, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, 1. Petri 2. Hebr. & Cald porrò eſt præteritũ pro fut. nempe præbuit, pro, certò præbebit, prophetico more, ad maiorem certitudinem ſignificandam: magis autem mihi hoc loco placet lectio Kimhij, quàm Veneti codicis, nam Kimhius legit יָהִיב præbuit. Venetus codex verò habet אָתִיב reſtituit: & eſt præterit. hiphil. Cald.

o Primitiuam pluuiam vocat imbrem autumnalem, qui circa menſem Octobrem deſcendit, qui valde vtilis & neceſſarius eſt pro faciẽda & humectanda ſemente, vt putrefacto grano, germinet & producat terra: per ſerotinam verò eam intelligit pluuiam, quæ verno decidit tempore circa menſem Martium, vel paulò ante ſegetes maturas, quæ etiam terram valde fœcundat.

p Intelliguntur hæc & multa alia ſequentia, etiam Heb. teſtibus de Chriſto domino, qui optimis pręmiis ſuos remunerat. Per regnum autem vindictæ, quod vocat exercitum ſuum, intellexit Vates regum Aſſyriorum Saneribi & Salmanaſaris videlicet, atque etiam Babyloniorum Nebucadnetſaris, numeroſiſsimos exercitus, qui diuino nutu diuerſis temporibus in terram Iſrëlitarum miſsi fuerunt, vt debitas pœnas pro ſceleribus ſuis penderent Iſraëlitæ: denique etiam varias alias illatas fuiſſe clades Iſraëlitico populo propter ſua ſcelera à variis nationibus & populis leges in annalibus Regum, & in Iudicum, Machabæorúmque libris.

q Admiſsionem Chriſti prædicit, in cuius ſpe requieſcit omnino verus Chriſtianus, & propterea ſua ſorte cõtentus eſt, qualis qualis fuerit illa.

r Chriſtus dominus noſter verè Deus & verè homo, dum inter Iudæos verſaretur, à multis Iudæis, qui illius partes ſequuti ſunt, cognitus eſt, cognoſcitúrque in dies ab illis ipſis, qui ad illum conuertuntur, relicta ſuæ perfidę ſynagogæ doctrina.

ſ Q. d. Dominus Deus, poſtquàm Chriſtus filius meus verè Deus & verè homo manſerit inter vos ô Iudæi, effundam Spiritum ſanctum meum ſuper omnem carnem in die Pentecoſtes, vt diuus Petrus hunc Ioëlis locum citans Act. 2. interpretatus eſt.

t Per omnem carnem Iudæos & Gentiles intelligit, & locum hunc interpretatur D. Paulus, Rom. 10. his verbis: Non enim eſt diſtinctio

Iudæi & Græci: nam idem dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Sic etiam ad Galat. 3. Non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina.

v Per ſeruos & ancillas exterarum nationum intelligit etiam infimę ſortis homines, qui tamen Iſraëlis filij ſpiritu, digni inuenti ſunt in eccleſia domini miniſtrare, eſſéq; vicarij Apoſtolorum, ſicut etiam prædixit Eſaïas 61. Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra: filij quoque peregrinorum & agricolæ veſtri, & vinitores veſtri erunt. Caput illud Eſaiæ haud dubiè lectu digniſsimum eſt.

x Hoc ad Chriſti ſecundum aduentum refertur, & intelligendus exponendúſque eſt locus iſte per verba ipſius Chriſti dicentis Luc. 21. Et erunt ſigna in ſole & luna, & ſtellis, &c. Lege etiam Matth. 24. & Marc. 13.

y Per ſanguinem & ignem cruentiſsima bella illa & incendia, quæ quidem extremum præcedent iudicium, intelligit: per columnas verò nubis, omnia fulgurum genera, vel fumos, qui ex bellicis incendiis aſcendent veluti columnæ craſsiſsimæ.

z Huiuſmodi deliquiis maiorum luminarium ſummas clades & miſerias prænuntiat: quod ſcripturæ ſacræ eſt familiare, & iam in hoc ipſo capite ferè idem dixit ſuprà his verbis: Commouebuntur cœli, ſol & luna lurida fient, & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum.

& Per Tſiionem & Ieruſalem, quam aſylum appellauit, Chriſti Ieſu domini noſtri Eccleſiam intelligit, extra quam non eſt ſalus.

Cap. 3.

Ecce ſanè in diebus illis, & in tempore illo quo [a] reuocabo captiuos (&) imbecilles Iudæos, atque etiam habitatores Ieruſalem. Congregabo ſine dubio omnes populos, & deducam illos in vallem deciſionis iudicij, iuréq; animaduertam in illos ibi, propter [b] populum meum & hæreditatem meam Iſraëlitarū, quos diſperſerunt per nationes, & terram meam partiti ſunt. Super populū meum etiam miſerunt ſortem, & dederunt puerum pro præmio ſcorti, puellámque vendiderunt pro vino, vt biberent. Cæterùm quid comparatione mei eſtis

vos ô Tyre[e] & Tſidon, omnéſque Palæſtinorum termini?an iniuria me laceſſere audeatis? ſi[d] profectò incitaueritis me, præproperè illatā à vobis iniuriam in capita veſtra retorquebo. Quia argētum meū & aurum meū tuliſtis, & cupita vaſa affabre facta intuliſtis in fana veſtra. Iudęos quoq;, & Ieroſolymitanos ciues vendidiſtis ipſis Græcis, vt procul à finibus ſuis amandaretis eos. Ecce ego palàm eos [e] reducam ex quocunque loco, in quo vendideritis ipſos, & facinus veſtrum in caput veſtrum redundabit. Quandoquidē filios veſtros & filias veſtras tradam in poteſtatem [f] Iudæorum, qui illos Sabæis genti longinquæ vendent: quoniam ita verbo domini decretum eſt. Indicate[g] hoc nationibus: bellicas parate copias, in publicum prodeant fortes, accedant & aſcendant viri bellatores omnes. Vomeres veſtros in gladios dirigite, & falces veſtras in lanceas, qui[h] imbecillis eſt, dicat: ego ſtrenuus ſum. Confluant, & veniāt omnes populi, qui per circuitum ſunt, appropinquéntque: ibi conquaſſabit dominus vires fortium eorum. Manifeſtè venient, atque[i] aſcendent populi in vallem deciſionis iudicij, quoniam illic certè cōſpicuus fiet (dominus) ad iudicandum omnes gentes, quæ circumcirca erunt. [k] Stringite in illas gladium, quoniam exitij illarum tēpus aduenit: deſcendite: premite interfectos fortes earum ſicut ſpiſſamentum, quod comprimitur in torculari, effundite ipſarum ſanguine, quoniam robuſta fuit earum improbitas. O turbæ frequētes in valle deciſionis iudicij (cōuenite) quoniam [l] pro-

pe eſt dies (ille) diuino nutu futurus in valle deciſionis iudicij. Sol & luna lurida fient, & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum. Et dominus de Tſiione rugiet, & de Ieruſalē ſua alta [m] voce clamabit: commouebuntur etiam cœli & terra, & dominus columen erit populo ſuo, robúrque Iſraëlitis. Scietis autem quòd ego dominus Deus veſter manere fecerim diuinam maieſtatem meam in Tſiione monte ſancto meo: cæterùm erit Ieruſalem [n] ſancta, neque profani deinde iter per illam facient. Eueniet porrò tempore illo, vt affluant mōtes vino [o] mero, & colles bonis abundent: omnes quoque Iudeæ ſcaturigines fluent aquis, & de ſacroſancto templo domini egredietur fons, qui vallē Sitim irrigabit. Vaſta erit [p] Aegyptus, & Idumea deſerta ſolitudo, eo ꝙ vim intulerint filiis Iudæ, quorum ſanguinem innocentem in terra ſua effuderunt. Iuda porrò in æternum manebit, & Ieruſalem in ſempiternū. Cæterùm eorum ſanguinem quem [q] vindicaui in populis, denuo etiam vindicaturus ſum ego, dicit dominus, qui diuinam maieſtatem ſuam commorari faciet in Tſiione.

In Cap. 3. Scholia.

a Tempus attingit quo vnum erit ouile & paſtor vnus Chriſtus dominus noſter, quando videlicet Iſraēlis reliquiæ ſaluæ fient.

b Populum ſuum vocat fideles in Chriſto, qui perſequutiones, exilia, capitis & bonorum proſcriptiones paſsi erunt à tyrannis & aduerſariis euangélij domini noſtri Ieſu Chriſti.

c Per Tyrum Tſidonem & Palæſtinos omnes fidelium aduerſarios intelligit: de Tyro autem qualis & quanta fuerit, ſatis à nobis obſer-

uatum

uatum comperies in cap.9. Targumi in Hoſeam prophetam Sidon autem quæ Hebr. & Cald. צִירוֹן Tſidon appellatur, vrbs Phœniciæ omnium maxima & antiquiſsima fuit, atque à poëtis profaniſque aliis authoribus magis celebrata, quàm Tyrus, tametſi controuerſum ſit vtrauis Phœnicum metropolis dicatur: ſitum habuit in pulcherrimo continentis portu, vt Strabo Geographicorum libro 16. teſtatur: hæc Ioſuæ 11. & 19. צִירוֹן רַבָּה Tſidon rabba .i. Tſidon magna, ſiue celebris & copioſa vocatur, & tribui Aſer ſorte contigit, ſed nuſquam legimus illam in ditionem ipſius tribus Aſer redactam fuiſſe: diſtat autem à Tyro ſtadiis ducentis, & vt ex cap. Geneſ. 10. colligere licet, condita videtur à Tſidone filio Canaan, atque deinde temporis progreſſu à Phœnicibus ampliata. Tſidonij, vel latinè Sidonij, vt idem teſtatur Strabo, multarum optimarum artium & præcipuè Arithmeticæ & Aſtronomiæ magiſtri & inuentores perhibentur: illi enim à computatione & nauigatione nocturna initium habuere, quãdoquidem vtrũq; mercatorium & nauale eſt, quemadmodum Aegyptiorum inuentum Geometria agrarium, ab agrorum dimenſione quam faciunt, quum Nilus auctus illorum terminos cõfundit. Sidon artifex vitri, Thebarũ Bœotiarũq; parens dicitur à Plinio, lib.5. cap.19. atq; etiam idem Plin. lib.36. cap. 26. de Sidone adhuc ſcribit, quòd illa vitri officinis nobilis ſpecula excogitauit. Sidonij idololatræ fœdiſsimi idôlum Aſtoreth, ſiue Aſtaroth coluerunt, vt ex 3. Reg. 11. & 4. Reg. 23. liquet. Huius porrò vrbis Sidonis meminit Chriſtus, Matth. 11. & 15. quando Cananeæ mulieris ſanauit filiam: ad illam etiam appulit Paulus, cùm vinctus Romam duceretur, Act. 27. Sidonis porrò exitium & euerſio prædicitur etiam poſt Ioëlem ab Ezechiele, cap. 28.

d Si pro quia hîc meo iudicio, vt ſenſus ſit facilior, accipiendum eſt, & hoc conſequentia demonſtrant paulò poſt.

e Quando dixit, Palàm eos reducam, loquitur de generali mortuorum reuocatione, quãdo manifeſtari ante tribunal Chriſti vnumquẽq; oportebit, & reddere pro ſe rationem Deo, iuxta id, quod fecerit, ſiue bonum, ſiue malum, Rom. 14. & 1. Corinth. 5. quæ quidem reuocatio à morte iuſtis & fidelibus in Chriſto Ieſu domino noſtro vbicunque & quomodocunque mortui fuerint, valde erit honorifica, quoniam omnes capilli capitis illorum numerati ſunt, Luc. 21. reprobis verò eorum aduerſariis valde ignominioſa, qui grauiſsimas pœnas perpetuò ob admiſſa flagitia luent in igne æterno.

f De filiis malè moratis, qui parentum vitia ſequentur, loquitur vates in perſona Dei: & his verbis Iudæis ſpiritu, hoc eſt fidelibus in Chriſto pol-

ſto pollicetur finem malorum & requiem: improbis verò & infidelibus diaboli captiuitatem, tormenta & æterna vincula, quæ quidem per Sabæos gentem longinquam, barbaram & incultam ſignificat, à qua nulla liberationis aut reditus ſpes erit propter longinquitatem, & magnam regionum diſtantiam: huiuſmodi porrò verbis propheta humano more ſummum bonum fidelium exprimit, quo apud dominum Deum perpetuò fruentur: nullo enim gaudio & lætitia maiori poteſt quis in hoc ſeculo perfrui, quàm ſi ſe è vinculis liberatum videat, & eum qui ſe in illa conieciſſet, iiſdem vinctum & preſſum vinculis. Quando autem dixit: quoniam ita verbo domini decretum eſt: perinde eſt ac ſi dixiſſet Deus: quoniam ita verbo meo decretum eſt: nam eſt antecedens pro relatiuo, quod Hebr. & Cald. eſt frequens & familiare.

g Q.d. Ita eos alloquimini, dicẽdo, O Tyri, Tſidones & Palæſtini, per quos hoſtes omnes Chriſti paulò antè intellexit, vtamini quantùm voletis externis auxiliis & copiis, atque quàm maximos colligite exercitus: id eſt, pro virili veſtra conamini nocere piis & fidelibus in Chriſto: tandem tamen ſtudia & conatus veſtri vani & irriti erunt, pœnáſque grauiſsimas propterea dabitis: nullum proculdubiò erit vobis auxilium aut præſidium, quo hoc, quod comminatur vobis Deus malum, impediri aut effugi poſsit à vobis.

h Q.d. Etiã ſi fieri poſſet, vt imbelles, debiles & infirmi poſſent euadere in milites fortiſsimos, tamen vincemini, & cudetur in vobis faba, tantúſque belli apparatus tandem vanus erit, nihilque aduerſus pios in Chriſto poteritis.

i Aſcendent populi: Supple, de ſepulchris ſuis, vt ad iudicium veniãt ante tribunal Chriſti reddituri rationem Deo boni & mali, quod fecerint, quiſque pro ſe. Rom. 14. & 1. Corinth. 5.

k Angelos miniſtros ſuos, qui exequentur mandata illius in extremo iudicio in nouiſsima tuba, alloquitur dominus Deus.

l Prope dixit, nõ ratione habita fragilitatis & breuitatis vitæ noſtræ: nam non minùs quàm duo mille tercentum anni elapſi ſunt à ſeculo Ioëlis prophetæ ad hanc noſtram ætatem: ſed hoc dixit ille propter ipſum Deum Opt. Max. qui paſsioni non obnoxius ſibi ſemper ſimilis eſt, & cui ſoli notum eſt tempus iudicij venturi: vt enim 2. Petr. 3. legitur: Dies vnus apud dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non tardat dominus (ait ille) promiſsionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Millenarius autem numerus, non ſolùm in iſta diui Petri ſententia, ſed in ſacris literis ſæpenumerò infinitum,

tum ſiue incertum numerum ſignificat, ſicut perſpicuum eſt ex Pſalm. 50. Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus mille Id eſt, quæ paſcunt & habitant in infinitis terræ montibus: ſic Pſalm. 119. Bonum mihi lex oris tui pręmillibus auri & argenti. Hoc eſt, infinitis pecuniis & diuitiis præpono legem tuam domine.

m De horrifica illa voce qua dicetur à domino: Diſcedite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius, Matth. 25. loquitur propheta. Per columen verò & robur ſummum intelligit fauorem illum, quo in ſempiternum proſequetur beatos dominus Deus in regno ſuo, quod perpetuum, ſtabile, & nulli obnoxium mutationi erit.

n Per Ieruſalem ſanctam per quam non tranſibunt profani, militantem intelligit Eccleſiam, poſtquàm facta fuerit triumphans.

o Humano more docetur ſummum bonum illud, quo beati poſt iudicium vltimum animo & corpore in æternum fruentur: Sittim autem ſiue Setim vallis eſt in campeſtribus Moabi, Numer. 25. in qua blandimentis ſuis Moabitidæ mulieres Iſraëlitas ad ſcortandum & adorandum idôla pellexerunt, & quia fortaſsis Sittim vallis erat ſterilis & inculta (Sittim enim ſpinas ſignificat) ſumitur hîc meo iudicio, pro illis qui bonis operibus ſteriles, ambulantes in idololatriæ tenebris, viderint lucem magnam euangelij, per cuius obſeruationem ſalui tandem fient, & beatorum numero ſcribentur.

p Intelligit per Aegyptum & Idumeam cæteras omnes nationes impias, quæ animo infeſto Iudæos, hoc eſt, fideles & electos Dei perſequutæ erunt, & in flagitiis ſuis perſtiterint.

q Q. d. Flagitioſi & ſcelerati homines, qui proximo infeſti fuerant, ac perſequuti pios & fideles erant, cùm priùs anima tantùm damnati in inferno eſſent, poſt vniuerſalem mortuorum ad vitam reuocationem & extremum iudicium, adhuc pœnas perpetuò exolüent corpore & anima in igne æterno apud inferos. Per Tſionem porrò triumphantem intelligit Eccleſiam, in qua perpetuò beati diuino conſpectu fruentur.

TARGVM SEV PARAPHRASIS CALDAICA, QVAE ETIAM SYRIACA DICITVR, IONATHANI CALDAEI ANTIQVISſimi, atque fidiſsimi ſacrarum veteris Teſtamenti ſcripturarum interpretis, in ſacram Amoſi vatis domini prophetiam, nunc primùm latinitate donata: interprete Iohanne Quinquarboreo Aurilacenſi, linguarum Heb. & Cald. Regio profeſſore.

Cap. 1.

SErmones [a] Amoſi Tecoani, cui res pecuaria [b] ampla fuit, quos ſuper Iſraëlitis vaticinatus eſt tēporibus Vziiæ Iudæorum regis, & Iaroubami filij Ioaſi regis Iſraëlitarū, biennio ante [c] terræmotū. Dixit enim: Dominus de Tſione rugiet, & de Ieruſalem ſua alta voce clamabit: & ſubuertentur aulæ regiæ, tutamentúmque præſidiorum illorum deſtruetur. Sic dicit dominus: ſuper [d] tribus ſceleribus Damaſcenorum & ſuper quatuor non parcam illis, eo quòd ferreis tribulis triturauerint habitatores prouinciæ Gilad. Nam ignem immittā in domū Azaëlis [e] (regis) qui palatia Bar-hadad exuret. Exarmabo certè Damaſcum, & perdā habitatorē de [f] Bicath-Auen, recedétque ſceptrum de Beth-Eden: cæterùm exulabūt Syri [g] Cyrenem, dicit dominus. Sic dicit dominus: ſuper tribus ſceleribus [h] Azæorum, & ſuper quatuor non parcā illis, eo quòd ipſi amādauerint (Iudęos) abſoluto exilio Edomæis tradendo. Nam ignem immittam in mœnia Azæ, qui palatia illius exuret. Perdam etiam habitatorē de Aſdodo, atq; ſceptrum de Aſcelone auferam: adhæc diram potētiam

tiam meam conuertam in Ecronē, & peribunt reliquiæ Peliſtæorum, dicit dominus Deus. Sic dicit dominus: ſuper tribus ſceleribus Tyri[i] & ſuper quatuor non parcam illis, eo quòd relegatione abſoluta ipſi tradiderint (Iſraëlitas) Edomæis, & recordati non ſint fœderis fratrum. Nam ignem immittam in mœnia Tyri, qui exuret palatia eius. Sic dicit dominus: ſuper tribus ſceleribus [k] Edomæorum & ſuper quatuor non parcā illis, eo quòd gladio perſequuti ſint fratres ſuos, & humanitatem ſuam violauerint: ſiquidem inſtanter ſæua fuit ira eorum, eámque indomitā retinuerūt. Nam ignem immittam in auſtrum, qui exuret palatia [l] Botſræ. Sic dicit dominus: ſuper tribus ſceleribus [m] Ammonitarum & ſuper quatuor non parcam illis, eo quòd prægnantes terræ Gilad diſſecuerint, vt dilatarent fines ſuos. Nam ſuccendam ignem in muris Rabbę[n], qui exuret palatia eius cū clamore in die belli, cum tempeſtate in die turbinis. Et in exilium agetur rex eorum vnà cum principibus ſuis, dicit dominus.

In Cap. 1. Scholia.

a Vaticinatur præcipuè Amoſus vates domini in regnum decem tribuum, quod cōmuniter regnum Iſraëlis appellatur, cuius metropolis erat Samaria: in regnum Iudæ inuehitur etiam, vt ex 2. & 3. cap. conſtat, & ſexto etiam, quando Tſiionis meminit, quæ erat arx vrbis Ieroſolymitanę metropolis regni Iudaïci. Ex regum porrò Vſię & Iaroubami, quorum propheta Hoſeas etiam meminit, temporibus videmus Hoſeam & Amoſum eodem ſeculo vixiſſe. Vziias autē rex binomius fuit: nam altero nomine Azarias appellatur, vt iam ſuprà ſcholio 1. in cap. 1. Hoſeæ diximus.

b Quia germanus ſcripturæ ſacræ ſenſus, vel ex conſyderatione an-

tecedentium & conſequentium, vel ex locorum collatione eliciendus eſt, locum hunc interpretati ſumus per ipſum Targumum, quod eſt 4. Reg.3. in hæc verba. Meſæ porrò regi Moab erat res pecuaria ampla. Vbi Targumus de rege abundante pecore loquens, eadem habet verba quæ hîc de propheta Amoſo. Ad hæc Hebr. contextus, Hebræorumque doctiores interpretes huic fauent & adſtipulantur interpretationi.

c Huius terræmotus, qui fuit regnãte Vziia rege, quem Amoſus prædicit, meminit Zacharias propheta, cap. 14. Cauſam autem illius terræmotus Hebræi & Chriſtiani dicunt fuiſſe proteruitatẽ regis Vziiæ, qui contra legis præſcripta auſus eſt ſuffitum adolere in altari incenſi, quamobrem lepra fuit infectus, 2. Paral. 26. Zacharias enim propheta hiſtoriam illam obiter attingit, quæ tamen non ſcripta eſt in libris ſacris, qui hodie extant: potuit autem ille videre libros multos & annales, qui poſteà interciderunt, quorum meminerunt ſæpe & libri Regum & Paralipomenon: ſacri tamen libri, qui ſcripti remanſerunt, nobis ſufficiunt ad benè beatéque viuendum: nam Deus, cùm ſit optimus maximus, non permiſiſſet perire illos, ſi ad ſalutem noſtram conduxiſſent.

d Vbique in hoc capite, eo ꝙ omnes dies mundi huius, qui fuerunt & futuri ſunt, nobis ſint & incerti & infiniti numeri, in hebdomadas, quę ſeptem diebus conſtant, diſtribuuntur, per tres & quatuor numerum ſeptenarium, qui incertam & infinitam in libris ſacris ſępenumero importat multitudinem, ſignificat Amoſus propheta infinitam peccatorum multitudinem, in qua contumaci & pertinaci animo perſiſtebãt, ac ſeſe exercebant ſcelerati & flagitioſi homines illi, quorum meminit, qui propterea damnandi, & venia indigni viſi ſunt: hoc tamen ita acerbè à Vate dicitur, vt terrore incuſſo, reuocet, & ad pœniẽtiam inuitet homines, vt ad creatorem ſuum redeant, & ſuorum ſcelerum ab illo veniam petant, ne tandem procraſtinando periclitentur, ac pereant.

e Sæuierunt in Giladitas, ſiue Galaditas Syri, (quorum metropolis erat Damaſcus) 4. Reg. 13. regnantibus Azaël & Bar-Adad, ſiue Hebraïcè Ben-Adad filio eius, quorum arces & palantia bellico incẽdio (ait Amoſus) conflagrabunt. Lege etiam 4. Reg. 10. Vnde coniicere licet Amoſum etiam antequàm Iaroubamus regnaret, tempore Iehu vixiſſe, cuius pronepos fuit iam dictus Iaroubamus, produxiſſeque vitam vſque ad Iaroubami tempora, quo regnante vates diuinus factus eſt.

f בִקְעַת־אָוֶן Bicath-Auen, quod ſignificat campum vanitatis, & בֵית־עֶדֶן Beth-Eden, quod idem ſonat, quod domus deliciarum,

ſunt

ſunt (vt Hebræi teſtantur) nomina celebrium vrbium Syriæ.

g Per Cyrenem, regionem Cyrenaïcam, quæ & Pentapolitana dicitur, intelligit: fuit autem Cyrene, quæ Heb. קִירָה Kira, & Cald. קַרְנֵי Kirne appellatur, Africæ ciuitas clariſsima, quę nomen regioni ſuæ indidit. Quinque autem ciuitates illæ, à quibus regio illa nomen habet, altera appellatione, ſunt Bernice aliàs Heſperia dicta, Apollonia, Ptolemaïs antiquo nomine Barce appellata, Arſinoë aliquando Teuchira vocitata, atque Cyrene, à qua regio denominata eſt, harum omnium celeberrima. De illa vide Plin. lib. 5. cap. 5. Melam lib. 1. & Strabonem lib. 17. Cirenę vrbis etiam meminit Luc. Act. 2. In illam porrò regionem procul amandati fuerunt Damaſceni victi à Tiglat-Pileſer rege Aſſyriorum, 4. Reg. 16. ſicut iam hac prophetia prædixerat Amoſus, qui etiam tunc adhuc ſuperſtes eſſe potuit, vt in cap. 9. diximus.

h Gaza, quæ Hebr. & Cald. dicitur עַזָּה Aza, vnde Azæi, vrbs fuit Peliſtæorum Hebræis valde infeſta, quę Ioſuę 15. ſorte tribui Iudę cōtigit, quam & expugnauit Iudicum 1. ſed illam diu retinere non potuit. Huius vrbis portæ fores cum ſuis poſtibus & repagulo humeris ſuis exportauit Simſon: qui tandem fraude Delilæ mulieris à Peliſtæis cōprehēſus & oculis priuatus, Gazam hanc perductus ad truſatiles molas agitandum detruſus eſt, Iud. 16. Cæterùm Azæi propter antiquum acerbiſsimúmque odium in Iſraëliticam ſobolem conceptum, in luctificis illis cladibus, quibus à Caldæis & Romanis profligati fuerunt Iudæi, ſi illorum aliqui ſuperſtites hoſtem euaſiſſent, clámque ſe ad eos tanquàm ad vicinos ſuos contuliſſent, vt apud illos latere & degere poſſent, Idumæis eos tradiderunt: quod totum ab ipſo vate præuidetur. Per Idumæos porrò plurimùm in ſacris literis Iſraëlitici generis hoſtes capitales intelliguntur, vt pſal. 136. Memor eſto domine filiorum Edom in die Ieruſalem propterea quòd Eſaü, qui Geneſ. 25. dictus fuit Edom, à quo Idumæi, ſiue Edomæi illius poſteri vocati ſunt, fratrem ſuum Iacobum, à quo Iſraëlitæ prouenerunt, occidere cogitarit, Geneſ. 27. Meminit adhuc ruinæ aliarum vrbium, quæ præcipuę erant Satrapiarum Peliſtinorum, quæ etiam tribui Iudæ ſorte euenerant.

i Per Tyrum vrbē de qua ſatis à nobis dictum eſt in cap. 9. Targumi in Hoſeam, Tyrios ipſos metonymicω̄s intelligit, quos excidiū & ruinam illis prædicendo, acerrimè taxat, & reprehēdit propheta tanquam fœdifragos: Tyrij enim & fœderis, & antiquæ amicitiæ à tempore Selomonis regis & Hirami regis Tyri immemores, fugientes Hebræos, qui hoſtem euaſiſſent, quemadmodùm & Azæi ſupra, hoſtibus tradide-

runt. De amicitia autem quam contraxerant Dauid & Selomo cum Hiramo rege Tyriorum, & quomodo Selomonem ille fratrem vocauerit vide 3.Reg.5. 2.Paralip.2.& 3.Reg 9.Hebręi tamen interpretes R. Abraham Aben-Ezra. & D. Kimhius ſentiunt vltimam huius verſus partem non ad Tyrios,ſed ad Edomæos ſiue Idumęos Iſraëlitarum fratres,vt præcedente annotatione dictum eſt,referri:ita enim verti volunt.Eo quòd tradiderunt ipſi abſoluta relegatione Edomæis,qui fœderis fratrum non recordati ſunt. q. d. Edomæos oblitos eſſe fraterni amoris, qui veluti fœdus firmum & ratum perpetuò ab eis ſeruandus erat.

k De Edomæis ſiue Idumæis præcedentibus duabus annotationibus ſatis loquuti ſumus: ſi tamen adhuc illorum atrocitatem inhumanitatémque in fratres ſuos Iſraëlitas cognoſcere cupias,lege cap.20.Deut. Refert enim hæc vates & ad Eſaü, qui denominatus fuit Edom, & ad illius poſteros Edomæos.

l בָּצְרָה Botſra latinè munitionē ſignificat, & eſt vrbs auſtralis Idumeæ,cuius meminit Geneſ.36. Eſaïæ 34.63.& Ieremiæ 39.

m Ammonitarum qui Geneſ.19.originem traxerāt ab Ammone Loti filio,qui fuit,vt Geneſ.11.legitur,nepos Abrahami,à quo illorū conſanguinei Iſraëlitæ oriundi, auaritiam ſummam,qua ardebant,immanitatémque in Galaditas oſtendit propheta,atque incuſat: per Galaditas autem ſiue Giladitas intelligas oportet,lector,tribus Rubeni,Gadi, & mediam tribum Menaſis, quæ poſſeſsionem ſuam in regione Galad ſiue Gilad vltra Iordanem,Numer.32. Deuter.3.& Ioſuę 13.habebant. Cæterùm videbant Ammonitæ perditi & ſcelerati homines immemores conſanguinitatis Iſraëlitarum,futurum, ſi grauidis Iſraëliticis mulieribus in bello parcerent, vt filii,qui ex illis naſcerentur, agros maioribus ſuis vi ablatos repeterent, bellúmque mouerent: itaque vt perpetua vſurpatione agros & alienas poſſeſsiones occuparent,matres Iſraëliticas cum fœtu ſuo in Galad miſerè trucidauerant.

n Rabba,quæ quando genitiuum regit,vt Ieremiæ 49. & aliàs, dicitur,Rabbath,metropolis fuit Ammonitarum,in qua lectus ille ferreus Ogi regis Baſanæ erat, lōgitudinis cubitorū nonē, & latitudinis quatuor, Deut.3.In huius vrbis obſidione occiſus fuit Vria maritus Bath-Seba 2.Samuël.11. Illa incendio bellico conflagrabit, non ſine magno planctu & clamore ſuorum ciuium,qui vel ab hoſte trucidabuntur, vel vnà cū rege ſuo & principibus exulabunt,vt prænuntiat vates domini.

Cap.

Cap. 2.

Sic dicit dominus: Super tribus ſceleribus Moabi & ſuper quatuor non parcam illis, eo quòd oſſa regis Edomi [a] cōbuſſerit, atque illis in domo ſua pro tectoria calce obliniuerit. Nam ignem immittam in Moabū, qui præſidij palatiū exuret, & morietur in ſtrepitu Moabus, in clamore & clāgore tubę. Pręſidem eius etiam exterminabo de medio illius, omnéſque ipſius proceres cum eo interficiam, dicit dominus. Sic dicit dominus: ſuper tribus ſceleribus Iudæ [b] & ſuper quatuor non parcam illis, eo quòd legem domini faſtidierint, & nō cuſtodiuerint ſtatuta eius: in fraudem autem impulerunt illos mendacia ſua, quæ eorum maiores ſequuti fuerāt. Nam ignem immittam in bona Iudæorum, qui Ieroſolymitana exuret palatia. Sic dicit dominus: ſuper tribus ſceleribus Iſraëlis, & ſuper quatuor nō parcam illis, eo quòd emant iuſtos pro [c] argento, & pauperes, pro eo quod poſsident. Qui fruſtra habent terrę puluerem, quo inopum capita conſperſa ſunt, & pauperum iudicium peruertūt, pater quoque & filius rem habent cum eadem puella, vt ſanctum nomen meum violent. Adhæc ſuper pigneratitiis lectis prope omnes aras ſuas diſcumbunt, vinúmque rapinæ bibunt in fano idôli ſui. Ego tamen Amoræos ante illos exterminaui, quorū ſtatura ad cedros, & robur eorum ad quercus accedebat: exterminaui proculdubio illorū fructum [d] ſuper, & eorū radices ſubter. Ego præterea (iam) eduxeram vos de terra Aegypti, ac quadraginta annos

vos per deſertum deduxeram, vt Amoræi patriam poſſideretis. De liberis veſtris ꝓphetas inſuper ſt-tui, & de iuuenibus veſtris [e] doctores: an nõ res ita habet ô Iſraëlitæ? dicit dominus: Seduxiſtis doctores veſtros vino, & prophetis impoſuiſtis [f] ſilẽtiũ. Ecce ego ægrimoniam contra vos adducã, moleſtiãq; afferam vobis in loca veſtra, quanta eſt plauſtri [g] moleſtia, quando onuſtum eſt manipulis. Et deerit perfugij locus, ei qui erit velox, & validus virtuti ſuæ non innitetur, ſtrenuus quoque nõ ſeruabit vitã ſuam. Sagittarius etiam non contra aſtabit, & qui curſu valebit, non euadet, quíque eques fuerit, vitam ſuam non tuebitur. Qui denique inter ſtrenuos [h] animoſus erit, in die illa nudus ſine armis fugiet: dicit dominus.

In Cap. 2. Scholia.

a Hoc in verſu lectionem D. Kimhij ſequutus ſum, eo quòd emendadatior mihi videatur, quàm ſit illa editionis Venetæ, quam, qui ſequetur, ita vertere expedit. Eo quòd combuſſerint oſſa regis Edom, & obliniuerint pro calce tectoria in domo. Videtur autẽ locus iſte Amoſi prophetæ tollere ambiguitatem, & locum illum interpretari, qui eſt 4. Reg. 3. vbi ſic communiter à Latinis legitur. Quòd cùm vidiſſet rex Moab, præualuiſſe ſcilicet hoſtes, tulit ſecũ ſeptingentos viros educentes gladios, vt irrumperent ad regem Edomi, & non potuerũt. Arripiénſq; filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſraële, ſtatímque receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam. Sed veriùs & faciliùs poteſt ita legi contextus ille lib. Regum aſtipulatione huius prophetæ, qui alludere hoc loco ad illam hiſtoriam videtur, eámque attingere ac etiam explicare: nam relatiuum Heb. & Cald. referri poteſt vel ad filium regis Moabi, vel etiam commodiùs ad filium regis Edomi, quãdoquidem, ſi qua hoc loco habenda ſit fides Caldæo iſti interpreti Ionathano fidelitate & antiquitate venerãdo, quorſum

cineribus proprij filij vſus fuiſſet rex Moabi pro calce parietibus domus ſuæ incruſtandis? Itaque meo iudicio ex hoc prophetæ loco & Caldæo interprete propiùs vero eſt, locum illum Regum ita vertendum eſſe, poſtquàm Heb. & Cald. relatiuum patitur. Vidit autem rex Moabi, ꝙ ſibi præualeret bellum, & accepit ſecum ſeptingentos viros delectos, ad irrumpendum in regem Edomi, ſed non potuerunt. Accepit tamen illius filium primogenitum, qui poſt illum regnaturus erat, & obtulit illum holocauſtum ſuper muro, vnde fuit odium magnum in Iſraëlitas, vt ab illo diſceſſerint, reuerſique fuerint in terram ſuam. Per filium autem primogenitũ poſt patrem regnaturum regem intelligas oportet. Rex porrò Edomi ob captum in bello filium primogenitum, eruptione facta ab rege Moabi obſeſſo in ipſius caſtra, odium concepit in Iſraëlitas, quibus ſuppetias venerat, & quorũ cauſa bellum motum fuerat, eo ꝙ ipſi Iſraëlitæ non ſatis præſto fuiſſent ad ferendum illi auxilium, ne caperetur eius filius, quem poſteà comburendum curauit rex Moabi ſuper muro coram toto exercitu: quare hoc odium deprehendentes Iſraëlitæ in ſe ab rege Edomi cõceptum, triſtes in patriam ſuam ſe receperunt. Cæterùm Hebræorum doctiores interpretes hanc ſequuntur ſententiam: nam alioqui hiſtoriam hãc, quàm hîc attingit Amoſus, nuſquàm aliàs ſcriptam inuenies in authoribus ſacris. Per Moabum porrò Moabitas ipſos cum rege ſuo intelligito, & per Edomum Idumæos.

b Per Iudam, duarum tribuum Iudę & Beniamin regnum intelligit, cuius ſedes erat Ieroſolymæ: eius autem prædicit propheta tranſlationem & exitium factum primùm per Caldęos, & poſtremò per Romanos: cæterùm per mendacia intellexit oracula pſeudoprophetarum & idôla, quæ tam ipſi, quàm eorum maiores coluerant.

c Q.d. Muneribus & pecunia ita ſibi deuinciũt corruptos & iniquos iudices ſuos Iſraëlitę, vt iuſtam cauſam bonorum & iudicium corrũpi faciant & peruerti, & huiuſmodi artibus quantulumcũque boni, quod pauperes habeant, ſi viſum fuerit, & conducat eis, occupant, aſſumunt, & vendicant ſibi. Porrò, Hebraïca dictio מִכְרָם michram in ſignificatione emendi, quam Ionathanus ſequutus eſt, verti poteſt, teſte etiam D. Kimhio in libro radicum, qui tamen in comment. in hunc locum immemor huius ſenſus eſt, & fatetur ingenuè ſe non intelligere Ionathanum, qui optimè tamen eum interpretatur in ſenſu emendi: quandoquidem non ſolùm inuehitur hoc loco Amoſus in iudices Iſraëlis, verumetiam in ipſos decem tribuum Iſraëlitas, qui ſua pecunia, & muneribus ſuis anſam præbebant iudicibus peruertendi iudicium, & vendendi ſibi cauſam ac ius innocentum & pauperum: itaque me-

liùs fuiſſet Kimhio in comment.ſuis, aliiſque interpretibus, poſtquàm manifeſtum eſt prophetā non tantùm hîc de iudicibus loqui,ſed etiam de toto populo, ſubſcribēdo Ionathano doctiſsimo, cenſuiſſe contextum Hebraïcum ita vertendum. Super tribus ſceleribus Iſraëlis,& ſuper quatuor non conuertam illum propter emptionem ſuam iuſti pro argento,& pauperis pro calceis. Vbi per calceos Ionathanus rectè intellexit idipſum pauxillum boni pauperum, quod à iudicibus muneribus corruptis,veluti à mercatoribus merces, emebatur ab eo ex Iſraëlitis,qui illud occupare & vſurpare deſyderabat.

d Quia comparauit Amoræos arboribus, ob id meminit fructus & radicum,per quæ intelliguntur illorum opes,quæ ab Iſraëlitis nutu & fauore diuino omnino direptæ fuerunt, quando exterminatis & deletis Amorçis ipſis,eorum patriam poſſederunt Iſraëlitę:proponit autem illis Vates Dei beneficia, quibus affecti fuerant, vt illos ad pœnitentiam ac reſipiſcentiam flectat,& inclinet.

e Pro Hebraïco vocabulo נְזִרִים Nezirim,quod Nazaræos,hoc eſt, ſeparatos ſignificat,Caldæus interpres Ionathanus legit מַלְפִּין Malphin,id eſt doctores: quoniam veri doctoris & literarū ſacrarum profeſſoris munus & officium eſt, non ſolùm ſe ſeparare à vitiis, ſed etiam ab eiſdem homines alios ſeuocare, quemadmodum fecerunt Samuel, Ieremias, Hoſeas, Daniel, aliíque permulti, qui etiam iuuenes munus propheticum obierunt.

f Vt taceat Amoſus,ꝓpheta Dei, conatur Amatſia ſacerdos Betheli ſceleratus,cap.7.huius vaticinationis Per doctores ſeductos vino porrò molles & liqueſcētes voluptate homines,quorum Deus venter eſt, intellexit.

g Per Proſopopœïam tribuit ſenſum rei inanimatæ, & perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Non minùs graui calamitate & miſeria prememini, ô Iſraëlitę, quàm prematur plauſtrum, quod manipulis, aut ſpicarum faſcibus oneratum eſt: tali enim ſimilitudine & comparatione vſus eſt Amoſus, quia quæ magni voluminis ſunt, vento flante magis difficulter feruntur,aut vehuntur.

h Id eſt,eorum fortiores magíſque bellicoſi nimio perculſi metu,armis ipſis proiectis,vt celeriùs currant & feſtinent,inermes aufugient.

Cap. 3.

Audite iudicium hoc, quod cōtra vos pronunciauit dominus ô Iſraëlitæ? cōtra genus vniuerſum quod

quod[a] eduxi de Aegypto, his verbis. Vos tantùm elegi ex omnibus familiis terræ, idcirco in vobis puniam omnia peccata veſtra.[b] Nunquid duo vnà proficiſcuntur, niſi cõſenſus interfuerit? Num[c] rugit leo in ſaltu, & præda non eſt illi? Num vocem emittit leonum catulus de latebra ſua, niſi rapiat? Num cadit auis in laqueum terræ, niſi[d] aucupis opera? num aufert (auceps) laqueum de terra, ſi nihil prorſus ceperit. Num clãgit tuba in ciuitate inſueto tempore, & populus qui in illa eſt non cohorret? num eſt in ciuitate[e] afflictio, quæ à domino non inflicta ſit? Certè non niſi æqua iudicia, quæ præfinita ſunt à domino Deo, tantùm reuelat arcano ſuo ſeruis ſuis prophetis (Deus.) Leone rugiente quis non timeat? domino Deo[f] loquente, quis non approbet prophetiam?[g] Significate per palatia in Aſdodo[h], atq; etiam per palatia regionis Aegypti: & dicite, confluite ſuper montes Samariæ, & apertas ſimultates multas, & facinoroſos intra illam videte. Non enim legem exequi nouerunt, dicit dominus, qui in ſuperbis ædibus ſuis[i] rapina & præda implent theſauros ſuos. Idcirco ſic dicit dominus Deus, vehemẽs erit perturbatio in terra, nã auferet (hoſtis) potentiam tuam à te, & ſuperbas ædes tuas expilabunt (Aſſyrij). Sic dicit dominus: quemadmodum paſtor crura[k] duo adimit ex leonis faucibus, vel auriculã ipſam, ſic eripientur Iſraëlitæ, qui in Samaria habitabũt ſub potenti tyrannide, & ad Damaſcenos deuenient. Audite, &[l] atteſtamini in domo Iacobi, dicit dominus Deus, Deus exercituum.

tuum. Quoniam in die quo de Iſraëlitis propter peccata ſua ſupplicium ſumam, & in eos animaduertam, qui altaribus miniſtrãt in Beth-Elo, excindentur ſanè cornua altaris, in terrámque decident. Delebo adhuc domũ hyemalem cum domo æſtiua, peribũt quoque ædificia ebore affabrè diſtincta, finémque habebunt ædes plurimæ.

In Cap. 3. Scholia.

a Eſt hîc perſonæ mutatio, quæ (vt à nobis ſæpe obſeruatum eſt) frequentiſsimè fit in ſacris ſcripturis.

b Q.d. Putatiſne prophetas meos, qui quotidie vos reſipiſcentiæ admonent, aliter locutos eſſe ad vos, quàm ex meo conſenſu & voluntate, quando illis (vt ſuperiori capite dictum eſt) imponitis ſilentium? Hoc ſanè acerbum admodùm eſt.

c Leones de præda ſua ſecuri, non fruſtra rugire ſolent: ego verò, dicit dominus, per prophetas meos in vanum clamare & vociferari videor, cùm tamen re vera, quod interminor malum venturum ſit vobis Iſraëlitis contumacibus: prædicit porrò hoſtium Aſſyriorum aduentum, qui ad ſe traſlato ſceptro Samaritano, decem tribus Iſraëlis coloniis miſsis in ipſarum agros & vrbes, in Aſſyriam, aliáſque ſuæ ditionis prouincias tranſtulerunt Salmanaſare imperante, 4. Reg. 17. Quo in capite author libri Regum inter tantæ ruinæ & cladis Iſraëlitarum cauſas præcipuas, enumerat propheticarum admonitionum contemptum: prædicitur etiam hoc loco excidium Ieroſolymitanum per Babylonios, 4. Reg. 25. Alloquitur enim Amoſus omnes duodecim tribus, vt ex huius capitis primo verſu liquidò conſtat, ſed potiſsimùm ipſas decem, quarum regni ſedes erat Samaria, vt ex conſequentibus demonſtratur. Cæterùm in hoc & ſequenti verſu eſt Tautologia figura Hebræis & Caldæis familiaris, qua diuerſis verbis rem eandem repetit Vates ad maiorem expreſsionem.

d Q.d. Non profectò vana ſunt prophetarum Dei oracula: nam ſine dubio contra vos veniet Aſſyrius hoſtis, qui domino Deo authore vos ipſos captiuos, veſtráque omnia capiet ac aſportabit.

e Diuus Hieronymus locum hunc doctiſsimè interpretatus eſt, & illius verba hîc tranſtulimus: Malum autem, ait ille, quod dominus facit in ciuitate, non contrarium eſt virtuti, ſed afflictio eſt & cruciatus: de

quo

quo legimus Matth.6. Sufficit diei malitia ſua: Id eſt, tribulatio & anguſtia. Et in Eſaïa cap.45. Ego Deus, qui feci lucem & tenebras, qui facio pacem, & condo mala. Hæc ille.

f Q.d. Peruicaci & obſtinato animo admodum eſtis, ô Iſraelitæ, qui, tãtùm abeſt, vt prophetis meis credatis, vt illis prohibeatis loqui & vaticinari, vt iam præcedenti capite dictum eſt.

g Iam deploratis Iſraëlitis ob ſuam peruicacem contumaciam, per Apoſtrophen ſermonem ſuum conuertit dominus Deus ad prophetas ſuos, vt reges & principes vicinarum nationum inuitent, ad videndum ruinam & malum, quod ipſis Iſraëlitis ab Aſſyriis hoſtibus ſuis adueniet, expugnata Samaria regni metropoli, vt eis maior ſit confuſio & ignominia.

h Aſdodus, quæ Azotus vulgò dicitur, inſignis fuit Palæſtinæ vrbs, in qua gigãtes habitarunt, Ioſuæ 11. Ea ſorte cõtigit tribui Iudæ, Ioſuæ 15. & fano Dagonis idôli Pelıſtæorũ nobilitata eſt, 1. Samuel.5. In hac Philippus Chriſtum prædicauit, Act.8.

i Per rapinam & prædam intellige bona iniquè & cum proximi iniuria parta.

k Q.d. Euadent nonnulli, ſed pauci numero, qui vitæ ſuæ magno periculo valde ſquallidi & afflicti ad Damaſcenos, poſt tantam ſuorum cladem & exitium Samariæ, confugient. Cùm autem ſecundum Hebræum legatur: in plaga ſiue angulo lecti: & natura anguli ſint fortiores & tutiores cæteris ædificij partibus, Caldæus interpres ſenſus rationem habens, vehementem, aſperam & acerbam tyrannidem ſignificat ac exprimit, quam Aſſyrij otioſi & voluptati deditι in Iſraëlitas extorres & captiuos ſuos exercebunt, à qua tamen nonnulli pauci Damaſcum fugientes magno vitæ ſuæ diſcrimine liberabuntur.

l Suos alloquitur prophetas dominus Deus, vt ipſi veri teſtes ſui Iſraëlitis terrorem incutiant, eóſque ad pœnitentiam conuertant, antequàm valde calamitoſum tempus illud aduentus Aſſyriorum adueniat, quo nihil prorſus erit in tuto: quandoquidem & fana & ſacrificuli vitulorum, quos colunt in Bethelo & Dano (ait) deſtruentur, & perdentur omnino, tantùm abeſt, vt ipſi illorum præſidio & fiducia freti ſeruentur. Cornuum altaris porrò, quæ, vt altare ipſum corruat, amputabuntur, meminit, vel quòd altaria illa columnis aut fulcimentis aliis cornibus incumberẽt, vel etiam (vt Hebræi aiunt) quòd ſuper altarium cornua offerrent hoſtias, & ſanguinem ſpargerent. Cæterùm de Beth-Elo & Dano, vide obſeruatum à nobis in cap.1. Targumi in Hoſeam ſuprà.

Cap. 4.

Audite[a] edictum hoc graues diuitiis, qui eſtis in monte Samariæ, qui egenos opprimitis, & vim facitis pauperibus: dicunt ipſi ſatrapis ſuis, prouehite nos & prædabimur. Iurauit dominus in verbo ſuo per ſanctitatē ſuam, quia ecce dies inſtant contra vos, & ſua bellica virtute tranferent vos populi, filias quoque veſtras nauibus piſcatoriis. Coram vobis enim diruent murum, vóſque cateruatim inuicem deducent, atque amandabunt vltra montes Armenios, dicit dominus. Ite ad Beth-Elū, & præuaricamini, in [b] Gilgala culpā augete, ac manè offerte ſacrificia veſtra, poſt tres[c] dies decimas veſtras. Cōcelebrate de rapina [d] gratiarum actionis ſacrificium, & illud cum cantico offerte, dicitéque, eo quòd vobis cordi ſit ô Iſraëlitæ, hoc acceptū (Deo) eſt: dicit dominus Deus. Etenim ego propterea dētium rubiginem in ſingulis vrbibus veſtris dedi vobis, & graues annonas in omnibus locis veſtris, neque ad cultum meum cōuertimini, dicit dominus. Præterea etiam vos pluuia priuaui tribus menſibus antè meſſem, ac pluuiam ſanè demiſi ſuper ciuitatem vnam, ſuper aliam verò nō: impluet in poſſeſſione vna, & alia, in qua non impluet, exareſcet. Per neceſsitatem veniēt duę vel tres ciuitates ad vnam, vt aquam bibāt, nec ſitim reſtinguent: & tamen ad cultum meum non conuertimini: dicit dominus. Percuſsi vos vredine & robigine: elegantiam hortorum, vinearum, ficuum & oliuarum veſtrarum diſperdit eruca: neq; cōuertimini ad cultū meum: dicit

dicit dominus. Miſi cõtra vos [e] peſtem, quando in Aegypti itinere eratis,(ibidémque)cum equorum veſtorum præda iuuenes veſtros gladio trucidaui, atque etiam turmarum veſtrarum fœtorem aſcendere feci in nares veſtas:neque cõuertimini ad cultum meum: dicit dominus. Odio ſanè habet vos Verbum meum,ſicut odio habuit dominus Sedomam & Gemoram, eritíſque [f] ſicut torris ſeruatus ex incendio:neque cõuertimini ad cultum meum: dicit dominus. Quid tandem conferam tibi ô Iſraël?eo quòd ad legem non cõuertaris? [g] hoc ipſum tibi infligam:emendare(ergo,)vt approbes doctrinam Dei tui ô Iſraël.Profectò notũ eſt quòd,ei,qui formauit montes, & creauit ventum,ad oſtendendum hominibus quãta ſint illius opera, (qui)præparauit lucẽ iuſtis,qualis eſt auroræ lux,quæ(quotidie)meat,atque mũdi improbis tenebras parauit, ad diuexandum illos, dominus Deus exercituum nomen eius.

In Cap. 4. Scholia.

[a] Rabbi Selomo, Aben Ezra, D. Kimhius & eos ſequuti non æquè Hebraïſmum intelligentes, atque Ionathanus Caldæus interpres, hoc loco non animaduertẽdo in cõtextu Hebraïco nominatiuum fœmininum adhibitum eſſe à fronte verbo maſculino contra Hebraïcæ linguæ proprietatem, quæ vult nominatiuum & verbum in genere conuenire, quod Græcis & Latinis incognitum eſt, hoc ad principes fœminas Iſraëlitarum retulerunt: cùm re vera ad opulentos, rapaces & auaros (vt doctè Caldæus interpres videtur intellexiſſe) referendum ſit:vtitur enim conſultò Amoſus in Heb.contextu nominatiuo fœminino & verbo maſculino in contemptum Iſraëlitarum diuitum, qui, propter ſuam nimiam rapacitatem, & quòd imminenti eſſent auaritia,

viri

viri nomen non merebantur, & illos vaccis pinguibus comparauit. Solet enim ſcriptura aliquando in faſtidium & cõtemptum malorum hominum de illis loquendo vti fœminino pro maſculino genere.

b De Gilgala ſiue Galgala vide noſtram obſeruationem in cap. 4. Targumi in Hoſeam ſuprà. Hæc autem hìc ironicῶs dicuntur.

c Dies in plurali pro anno apud Hebræos & Caldæos quandoque ſumitur, eo quòd annus ſit veluti orbis & circulus dierum: hoc autem loco pro tribus diebus tres annos illos intellige, quorũ tertio decimas omnes prouẽtus ſui promebãt Hebręi, Deut. 14. & perinde eſt, ac ſi dixiſſet Amoſus: Tertio anno promite decimas veſtras. Huic porrò interpretationi fauent multi ſcripturæ loci alij, in quibus dies in plurali numero pro anno commodè ſumitur, & eos doctè citat D. Kimhius in libro radicum, in dictione יום, Iom, dies, & poſt illum Sanctes Pagninus in ſuo Theſauro linguæ Sanctæ.

d De gratiarum actionis ſacrificio ſiue hoſtia, lege circa finem cap. 22 Leuitici.

e Quia famem ſæpenumerò peſtis ſequitur, prædicit Vates Iſraelitis certò futurum à domino, quem deſeruerãt, vt ipſi penuria annonæ & fame grauati propter ſua lutulenta vitia ire in Aegyptum cogantur ad emendum frumentum, atque etiam in illo itinere vel peſte correpti moriantur, vel deinceps trucidentur à graſſatoribus, ita vt cadauerum ipſorum teterrimus fœtor valde offendat nares eorum, qui ex vobis (ait) eadem via & fine eodem quo alij iam mortui, in Aegyptum deinde tendent. Vtitur autem propheta verbis præteriti temporis pro futuro, prophetico more ab hoc verſu ad eum, qui ſuprà incipit. Etenim ego proptereà dentium rubiginem in ſingulis vrbibus veſtris dedi vobis. i. certè dabo, &c. ad maiorem rei certitudinem.

f Hoc verſu docet Vates paucitatem Iſraelitarum, qui hoſtis Aſſyrij manus etiam tum non effugient, quin priùs in magna pericula magnáſque difficultates delabantur. Cæterùm Chriſtianus meo iudicio cogitare animo hoc loco debet de verbo Dei Chriſto domino & reliquiis Iſraëlitarum, quæ tandem ſaluæ fient, ad quas videtur alludere Amoſus.

g Q. d. Mala ſuprà enumerata tibi certò euenient, ſi ſerò ſapias, quãdoquidem ego (ait Propheta in perſona Dei) qui hæc tibi comminor, ea facilè facere & præſtare poſſum, vt verſus ſequens teſtatur: nam qui poteſt in maiori, poteſt & in minori.

Cap. 5.

Cap. 5.

Audite ſcitum hoc, quod ego de vobis facio, lamẽtabile (tamẽ) ô Iſraëlitæ. Corruet profectò, neq; adhuc ſubſiſtere poterit [a] annũ vnum Synagoga Iſraëlitarum, proſtrata ſanè humi iacebit, nec erit qui eam erigat. Sic enim dicit dominus Deus: vrbs de qua exire ſolent [b] mille, ſuperſtites habebit cẽtum, & illa de qua egrediũtur centũ, apud Iſraëlitas reſiduos habebit decẽ. Verũtamẽ ſic (adhuc) dicit dominus familiæ Iſraëliticæ: flagitate religionẽ meã, & cõſeruabimini. Neque in Beth-Elum proficiſci flagitetis, neque eatis in Gilgalam, ac per [c] Beer-Sebam ne iter faciatis: nam qui degũt in Gilgala, ſine dubio exulabunt, quíque in Bethelo colũt idôlum, nulli erunt. Flagitate domini religionem, & conſeruamini: ne fortè contra Ioſephi [d] domũ exardeſcat tãquam ignis ira eius, & propter maleficia, quibus idôlum colitis in Bethelo, exurat, neque ſit, qui extinguat. Qui vertunt [e] iudicium in abſinthium, & iuſtitiam humi proſternunt, deſierũt timere à domino, qui fecit Arcturum [f] & Orionẽ, & lucẽ conuertit in tenebras, diémque nocte obtenebrat: cuius nutu numeroſiſsimi colligũtur exercitus, quos etiam per terram diffundit: dominus eſt nomen illi. Qui debilibus cõtra fortes victoriam dat, ac vaſtatores munitiſsimis illorum præſidiis potiri facit. Illũ odio habent, qui in foro iuduciali legis ſententiis eos reprehendit, ipſúmque, qui recta loquitur, peruerſum dicunt. Idcirco quoniam vos pauperes opprimitis, & affligitis miſeros: domos ope-

re amuſsitato ædificaſtis, ſed non manebitis in illis, expetẽdas vineas plantaſtis, ſed non bibetis vinum illarum. Quoniam notũ (eſt) mihi multas eſſe præuaricationes veſtras, & quòd obſtinatè differatis pœnitentiam veſtrã: vexant iuſtum ipſum, vt fallacem videlicet accipiãt pecuniam, & inopum iudicium peruertunt in actionibus ſuis. Ideo conſulti (viri) hoc tẽpore [g] coram improbis ſilẽt, quoniam tempus malum eſt. Efflagitate vt benè, non autem malè verſemini, vt propterea permaneatis, vobíſq; nunc præſtò adſit Verbũ domini Dei exercituum, ſicut expetitis. Malũ facere abhorrete, & bonorum inſtituto diligite viuere, ac in foro veſtro iuſtè iudicate: vtinam dominum Deum exercituum Ioſephi [h] reliquiarum miſereſcat. Ideo [i] ſic dicit dominus Deus, exercituũ dominus: in plateis omnibus erit planctus, & in omnibus vicis heu heu dicent: & inuitabunt ad luctum agricolam, plangoréſque faciens eiulationibus (iam) aſſuetum [k]. In omnibus ſanè vineis erit planctus, quoniã cauſa in promptu eſt, ad iure animaduertẽdum in te: dicit dominus. Væ [l] deſyderantibus diem, quę ventura eſt à domino: ad quid vobis iſtam (deſyderatis) diem, quę nutu diuino adueniet? Illa (enim) caligo erit, & non lux. (Dies illa vobis erit) ſicut quando coram leone euaſit aliquis, & obuius fit illi vrſus, aut domũ ingreditur, manúque ſua parieti innititur, & illũ ſerpens mordet. Nonne caligo erit dies, quæ nutu diuino adueniet, & non lux? tenebrę ſanè & non lux in illa (erunt). Abhorreo atque abominor ſolennia

veſtra,

veſtra, ſynagogæque veſtræ oblationem non cum gratia accipio. Si enim coram me victimas & oblationes veſtras offeratis, non ex mea ſunt ſententia, ſponte quoque oblata ſacrificia vobis ſancta, non apud me accepta ſunt. Auferto à me ſonitum cantionum tuarum, non ſanè lyrarum tuarum modulatum ſonũ audio. Et iudicium ſicut aqua perſpicuum ſit, iuſtitia quoque ſicut fluuius exundans. Nũquid hoſtias m ſanctas, & oblationes obtuliſtis coram me in deſerto quadraginta annis ô Iſraëlitæ? Portabitis haud dubiè n Sicuth ſimulachrũ regis veſtri, & deſignationem imaginum veſtrarum, Aſtrum quoq; idôlum veſtrum, quod vobis feciſtis. Et vos in exilium agam trans Damaſcum: dicit dominus, cui nomen eſt Deus exercituum.

In Cap. 5. Scholia.

a Per annum intelligit breuem & inſtantem hoſtis Aſſyrij aduentum, qui Iſraëlitas in exilium aget, atque amandabit in longinquas regiones.

b Q. d. Vrbes veſtræ quæ nunc celebres & copioſæ multas poſſunt copias in aciem educere, adeò aut bello, aut fame, aut peſte conficientur & infirmabuntur, vt paucitate defenſorum cogantur venire in deditionem, paucíque illi, qui tantæ cladis ſuperſtites erunt, cogẽtur exulare, ac præda fient, & vilia mancipia barbaris militibus. Terrorẽ porrò & metũ incutere conatur Vates, vt fœdos idololatras & vitiis aliis multis inquinatos Iſraëlitas ab errore ſuo reuocet.

c Beer-Seba nomen eſt loci in tribu Simeonis, Ioſuæ 19. qui terminus atque finis eſt ab auſtro terræ Iſraëlis: & quia ipſi Beerſebæi idololatris gentibus vicini erant, vicinitatis gentium cauſa idololatræ turpiſsimi facti erant: vel etiam alieni à vera Dei religione erant Beer-Sebæi, quòd Abrahamus & Iitſacus verſati eſſent in illo loco, nomẽq; ei impoſuiſſent Beer-Seba: id eſt, puteus iuramenti, aut puteus ſepti-

mus Geneſ.21.& 26. & propterea pſeudoprophetarum impoſtura ſanctitatem quandam loco illi tribuebant, ita vt Ieroſolymam adoratum ad templum domini eundum eſſe hominibus diſſuaderent.

d Per Ioſephi domum regnum decem tribuum intelligit, propter Ephraïmum ipſius Ioſephi filium, à quo tribus Ephraïmi nomen ſumpſit, ex qua fuit Iaroubamus ille ſceleroſus filius Nebati, qui fuit primus rex decem tribuum, 3. Reg. 11. & 12.

e Pendet ſententia vſque ad verſum, qui incipit: Illũ odio habent, &c.

f Meminit Arcturi & Orionis, quòd illorum ſignorum ortus & caſus tempeſtates portendat. Eſt autem Arcturus ſtella in ſigno Bootæ poſt caudam vrſæ maioris, quę oritur à Canicula ferè poſt diem quinquageſimum: dicta eſt Arcturus, quaſi ἄρκτου οὐρὰ, id eſt, vrſæ cauda. Orion verò ſignum eſt cœleſte iuxta Tauri ſydus conſtitutum, cuius tempore oritur hyems. Nomen porrò habet neglecta illius fabula ab ὀρίνω, hoc eſt turbo, quòd mare & terras tempeſtatibus turbet. Inter alia porrò multa meminit Amoſus horum turbidorũ ſignorum, quorum Deus creator & imperator eſt, vt videlicet Iſraëlitæ ipſi, qui dominum Deum valde ſuis maleficiis prouocauerant, metu perculſi cõſyderata Dei omnipotentia, ad illum per pœnitentiam redeant, ne tarditatem ſupplicij grauitas pœnæ compenſet.

g Id eſt: Prudentibus & probis à ſceleratis, pernicioſis & improbis hominibus temporis iniuria, ſilentium imponitur: vel prudentes & cõſulti viri, nequicquam & in vanum loquerentur: quare hoc tam cæco, aſpero & atroci tempore tacent, & prudenter diuinam expectant vltionem ſuper huiuſmodi ſceleſtos venturam.

h Per Ioſephi reliquias decem tribus Iſraëlis intelligit, vt paulò ante hoc capite dictum eſt: hoc loco enim reliquiarum nomine, familias ſiue poſteros Iacobi ſignificat, qui à Roboamo filio Selomonis defecerant, 3. Reg. 12.

i Supple: Si mores veſtros corruptos (vt ſuprà vos admonui) nõ emẽdaueritis Sic dicit dominus Deus, exercituum dominus: In plateis omnibus erit planctus, &c.

k Id eſt: Qui multis miſeriis & moleſtiis afflictus iam illis aſſueuerit, hãc adhuc quam prædico cladem ſentiens & videns, maioribus adhuc afficietur ęrumnis, & peiùs multò habebit.

l Inuehitur in incredulos prophetarum Dei deriſores, qui cum faſtu & arrogantia quadam vatum Dei contemnebant prædictiones diuinę vindictæ venturæ in flagitioſos & perfidos Iſraëlitas.

m Q. d. Quæ vos hoc tempore demẽtia cepit, ô Iſraëlitæ, quòd Leuitarum, quorum proprium munus & officium eſt, non autem veſtrũ, in ſolo

in ſolo ſacroſancto templo Ieroſolymitano coram domino miniſtrare, authoritatem abieceritis, illorum vſurpato à vobis miniſterio: Leuitæ enim à deſerti temporibus, vbi lata eſt lex, & in quo degiſtis quadraginta annos, à Moſe primùm cōſtituti ſunt ſacerdotes & miniſtri Dei in ſempiternum. Videtur autem attingere hiſtoriam, 3. Reg. 12. & 13. atq; 2. Paral. 11. quæ dicit ſceleroſum Iaroubamum filium Nebati, primum regem decem tribuum ſacerdotes & miniſtros conſtituiſſe non de Leuitarum genere, vt par erat, ſed repulſis Leuitis, qui videntes tantam abominationem, ſe Ieroſolymam ad Roboamum Selomonis filium receperunt, de infima plebe & fece populi ſacerdotes fecit. Citatur locus iſte à D. Stephano, Act. 7. Per Iſraëlitas porrò hoc loco intelligas oportet omnes illos, qui non de tribu Leui exiſtentes, contra Dei præſcripta rem diuinam facere audebant, ſequentes falſam illam religionem, quam iam dictus Iaroubamus rex filius Nebati inſtituerat.

n Sicuth idoli nomen eſt, quod pro Deo rege colebant. Alia lectio habet: Portabitis hauddubiè Sicuth polymitum veſtrum: vel neruum veſtrum: id eſt vires, præſidium & quæſtū ſacrificulorum veſtrorum. Sicuth idôlum porrò nomen habet à סָכַת Sacath i. auſcultauit: erat autem meo iudicio ſimulachrum quoddam, quod hominum vanitas tanquàm oraculum verum & certum, praua à pſeudoprophetis incuſſa religione, conſulebat. Hoc verſu porrò prædicit Amoſus futurum, vt magna cum ignominia & dedecore Iſraelitæ exulando cogantur ab Aſſyriis portare humeris ſuis, vt ſolitum erat in triumphis, inter exuuias & prædā, imagines & idôla ſua, quibus fiderant, & quę coluērant pro diis, qui quidem illos fefellerint. Vocabulum autem כִּיּוּן Kiiun, quo Amoſus vſus eſt, mihi hìc meliùs & conuenienter magis ſignificare videtur deſignationem, diſpoſitionem & ordinem, qui in triumpho illo ſeruabitur, quàm Saturnum planetam, vt quidam Hebræi interpretes putant: nam כּוּן Con (quod eſt Thema & radix huius vocabuli כִּיּוּן Kuun) ordinare, diſponere & ſtabilire ſignificat. Cæterùm per Aſtrum intelligit ſydus ſiue ſtellam aliquam, cuius figuram expreſſam pro Deo colebant: nonnulli Mercurium exiſtimant.

Cap. 6.

Væ otio abundantibus in Tſiione, & confidentibus in arce Samariæ, imponentibus nomina liberis ſuis, iuxta barbarorum nomina, & Iſraëlitis,

qui toto [a] conatu ſtudent inniti illis. Proficiſcimini [b] Calnem, & contemplamini, indéque viam facite in [c] Emathem copioſam: deſcendite etiam in [d] Gathem Peliſtęorum, & videte an meliores ſint regnis iſtis, an illorum fines latiùs propagentur veſtris finibus? Ipſi cõtemnitis diem veſtræ cladis, in foróq; veſtro iudiciali tyrannidem [e] exercetis. Ipſi, qui [f] dormiunt in lectis ebore diſtinctis, & in culcitris ſuis ſubmerguntur, comedunt etiam ſaginatos (agnos) de grege, & vitulos de medio ſaginario. Pſallunt quoque ad concentum Nablij: ſicut Dauid ſibi inſtrumenta muſica comparant. In argenteis pateris bibunt vinum, & ſeſe præſtantiſsimis vnguentis [g] vngunt, neque illos mĩſeret vexationis [h] Ioſephi. Idcirco priores erunt inter exules, & ab eis recedent gaudium & deliciæ. Iurauit dominus Deus per Verbum ſuum: dixit dominus Deus Iſraëlitarum: faſtidio ego ſacroſanctum templum familiæ [i] Iacobi, odíq; palatia eius, & tradam vrbem cum habitatoribus ſuis. Accidet enim, vt ſi ſuperſtites fuerint decem viri in familia vna, ſanè moriantur. Et illum [k] auferet proximus eius ab incendio, vt (ſaltem) oſſa è domo eripiat: dicet auté (proximus ille) ei qui in penetralibus domus (perſcrutabitur) an adhuc tecum quiſpiam nunc eſt? qui reſpondebit, perierunt: adhæc dicet, tace, quoniam non in nomine domini, dum viuerent, fundebant preces. Ecce autem præcipiet dominus, & regnum [l] amplum diritate vehementi percutiet, minus verò regnum remiſsiore. Num per [m] rupem currunt

equi?

equi? num bobus laborabilis? vertiſtis tamen in pernicioſorum colubrorum fel iudicium, & in abſinthium fructum iuſtitię. Abs re [d] lętamini, qui dicitis: nónne noſtra virtute comparauimus nobis opes? Ecce ego hauddubiè, dicit dominus Deus exercituum, excitabo contra vos gentem ô Iſraëlitæ, & affliget vos ab introitu [e] Emathis, vſque ad deſerti fluuium.

In Cap. 6. Scholia.

a Cald. Et Iſraëlitis omni precio ſtudentibus, vt innitantur illis. Proceſſerant enim eò dementiæ Iſraelitæ, vt mallent magnis impenſis & ſumptibus, fœdus icere cum barbaris & exteris, quàm ipſi Deo Opt. Max. fidem ſeruare.

b Calne, quæ Chalanne corruptè dicitur, ciuitas fuit regni Nembrodi, Geneſ. 10. quæ hîc meo iudicio pro tota ipſa regione Babylonica ſumitur.

c Emath, quæ Heb. dicitur חֲמַת־רַבָּה Amath-rabba, ciuitas fuit munitiſsima in tribu Nephtali, Ioſuę 19. Sita autẽ erat in finibus Syrię, non procul à Damaſco. 2. Samuel. 8. A Hieronymo & nonnullis interpretibus aliis Antiochia creditur ciuitas. Cæterùm hîc pro circumiacente regione accipitur, vt 4. Reg. 14. & aliàs. Illam occupatam à regibus Syriæ recuperauit Iaroubamus rex Iſraëlitarum filius Ioaſi, 4. Reg. 14.

d Gath, quæ communiter dicitur Geth, tutiſsima vna ciuitas fuit ex quinque ſatrapiis Peliſtæorum. 1. Reg. 6. Apud regem Gathis inſaniam finxit Dauid, 1. Reg. 21. In Gathe habitauit Dauid per aliquod tempus cum domo ſua, duabus vxoribus & militibus ſuis, 1. Reg. 27. In illa gigantes fortiſsimi bellatores habitarunt. 2. Reg. 21. Hîc autem non ſolùm pro vrbe ſumitur, ſed etiam pro toto agro ſuo, ſicut 2. Reg. 21.

e Vertas licet etiam. Et offertis in ſynagôga veſtra, quod ex rapina prouenit. Per diem cladis autem intelligit exitij & ruinæ eorum tempus, quod illis erat in fabulis, monitis prophetæ Dei non credendo.

f Pendet ſententia ab huius verſus principio, vſque ad verſum, qui incipit: Iurauit dominus Deus per Verbum ſuum, &c.

g Cald.

g Cald. Et excellentia vnguentorum pretioſorum ſeſe vngunt: vel: Et caput vnguentis pretioſis ſibi vngunt.

h Per Ioſephum intelligit decem tribuum regnum, vt cap. 5. diximus, quod Aſſyrij euerſuri erant: & perinde eſt, ac ſi dixerit propheta: non animo concipiunt molles & effœminati Iſraëlitæ voluptate liqueſcẽtes, quanti dolores, quantæque anguſtiæ ſibi, & toti regno Iſraëlitico ab Aſſyriis immineant.

i Significat per ſacroſanctum templum familiæ Iacobi, templum Ieroſolymitanum, in quo ſolo oportebat omnes duodecim tribus Iſraëlitarum, quæ à Iacobo patriarcha cognomento Iſrael, originem duxerãt, dominum Deum colere, & propterea quòd vel deſiiſſent ad illud proficiſci, vt lex iubebat, Deuter. 16. ſaltem ter in anno, vel quòd illud ipſum etiam reges Iudæ profanaſſent & conſpurcaſſent, vt ſæpe ex libris Regum & Paralip. videre licet, prædicitur Aſſyriacum & Babylonicum terribile ac durum exilium, quo Samaria & Ieruſalem cum ſuo templo, in quo valde Iudæi gloriabantur & ſuperbiebant, Ezech: 24. funditus euerſæ fuerunt, ſceptrúmque vtriuſque regni aſportatum ad Aſſyrios & Babylonios, ac tandem Ieroſolymitanum poſt reditum ab exilio Babylonico ad Romanos in perpetuum, propter mundi ſeruatorẽ impiè cruci affixum. Cæterùm decem tribus ab Aſſyriaco exilio ſiue tranſmigratione nunquam redierunt.

k Prima huius verſus pars ad incendium & conflagrationem ædificiorum per hoſtes factam refertur, ſecunda verò ad peſtem, quæ cladis ſuperſtites inuadet ac occidet. Illum porrò relatiuum, pro illos, & quiſpiam, pro quipiam, meo iudicio poſita ſunt.

l Per amplum regnum, Samaritanum regnum intelligit ab Aſſyriis omnino deletum, quod conſtitit decem tribubus, quas in exilium perpetuum ipſi Aſſyrij abegerunt: per minus verò regnum, quo cum remiſsiùs à domino Deo actum eſt, Ieroſolymitanum ſignificat, quòd duabus conſtabat tribubus Iudę videlicet & Beniamini, quæ duæ ſolæ integræ partes Roboami filij Selomonis ſunt ſequutæ, 2. Paralip. 11. & à Babylonico exilio poſt annos ſeptuaginta liberatæ & reuerſæ, tẽplum domini Dei & Ieroſolymam vrbem à Caldæis vaſtatam inſtaurarunt, vt ex libris Ezræ conſtat.

m Q. d. Vos omnia veſtra iniquitate, ordine perturbatò & præpoſtero tractatis: Nam magiſtratui æquo & ſancto, viriſque probis ac benè moratis (quales vos eſſe oportebat) non minùs difficile videtur peruertere iudicium, aut iuſtitiam, qua in integro res humanæ conſeruantur, quàm difficile ſit, vt equi per præcipitia, & rupium aſperitates currant, aut boues aratro rupes ipſas ſubigãt & veluti terram vertant.

n Id eſt:

n Id eſt: Vos rationis & conſilij inopes, lætamini de otio & diuitiis veſtris, quæ ſanè fluxæ ſunt, citóque præda erunt ipſi hoſti. Potes etiam ita vertere per tertiã perſonam. Abs re lætantur, qui dicunt, nonne &c.

o De Emathe hoc capite paulò ſuperiùs loquuti ſumus.

Cap. 7.

Quod ſequitur, oſtendit mihi dominus Deus: ecce autem examen locuſtarum in principio germinationis fœni cordi, illa verò germinatio tenuis eſt poſt fœniſecium [a] regium. Et accidit, poſtquàm conſumendi herbam terræ (locuſta) finem feciſſet, vt dixerim: ſine te exorem: domine Deus condona quæſo maleficiis reſidui Iacobæorum: quis ſtabit, vt intercedat pro peccatis illorum, quando exilio affecti erunt ipſi? Repreſsit dominus [b] iracundiam ſuam: ob id non euometur, dicit dominus. Quod ſequitur, oſtendit mihi dominus Deus: Ecce enim futurũ eſt, vt iudicet dominus Deus per ignẽ, qui abyſſum magnam deuorabit, & exuret poſſeſsiones. Tunc dixi: ſine te exorem: domine Deus condona quæſo maleficiis Iacobæorum: quis ſtabit, vt intercedat pro peccatis illorum, quando exilio affecti erunt ipſi? Repreſsit dominus iracundiam ſuam: ob id non euometur: dicit dominus Deus. Quod ſequitur (etiam) oſtendit mihi: ecce [c] autem Verbum domini paratum erat ſuper muro iudicij, & coram illo iudicium erat. Et dixit dominus mihi, quid tu vides Amoſe? & reſpondi, iudicium: dixit porrò dominus. Ecce ego iudicium exercebo inter populum Iſraëliticum, nec poſthac miſericordiam illis tribuam. Quandoquidem vaſtabuntur

 tur

tur excelſa [d] Iiſaci, & deſtruentur Iſraëlitarũm ſanctuaria, inſurgámq; contra Iaroubami [e] familiam, quam gladio exterminabunt. Tunc miſit Amatſias præſul Beth-Eli ad Iaroubamum regem Iſraëlis in hæc verba: Deſciuit à te Amoſus inter Iſraëlitas omnino intolerabilia effutiendo. Quod ſequitur, proculdubio protulit Amoſus: gladio interficietur [f] Iaroubamus & Iſraëlitæ pro certo è patria ſua in exilium abibunt. Ipſi Amoſo etiam dixit Amatſias: Vates in terrã Iudæorum proficiſci propera, ibíque vitam age, ac vaticinare. In Beth-elo autem ne poſthac vaticineris, quoniam ſanctuarium regis eſt, [g] domúſque regia. Amoſus autem reſpondens dixit Amatſiæ: Neque propheta, neq; prophetæ filius ego, quin diues pecoris, & ruri habens [h] Sicmin pertæſus eram maleficiorum populi Iſraëlis. Et me accepit dominus ab ouili, dum propter gregem aſsiſterem, dixítque mihi, Vade vaticinatum contra populũ meum Iſraëlem. Itaq; nũc audi ſentẽtiam domini, tu dixiſti, ne vaticineris cõtra Iſraëlitas in nomine domini, neq; in familia Iiſaci doceas. Propterea ſic dicit dominus: In ciuitate adulterabitur vxor tua, liberi tui ferro peribunt, & fune diuidetur ager tuus, tu verò in profana regione morieris, & Iſraëlitę re vera è ſolo natali ſuo in exilium agentur.

In Cap. 7. Scholia.

[a] Videre inde licet, quòd regia prata vltima tonderentur. Vtitur autem Vates verbis aptis & ſibi conuenientibus: nam (vt principio dictum eſt) pecore ipſe abundabat, & ob id de fœno, quod optimum eſſet pecori

cori alendo loquitur, ad hæc meminit fœni cordi ſiue autumnalis à locuſtis conſumpti, quod etiam optima eſt depaſtio, optimúmque pabulum pecori. Hac porrò viſione prævidebat Amoſus deſolationem terræ ſanctæ per numeroſiſsimos exercitus Aſſyriorum, Babyloniorum & Romanorum, quos per examen locuſtarum vaſtantium & deformantium regionem ſignificat: & oratione ſua efficaci, ac candido pectore profuſa, deſolationem & ruinam tantam ad tempus auertit: nam tandem malum hoc illis euenit, eo quòd obſtinato animo in ſuis perſiſterent flagitiis, monitis prophetarum non credentes Hebræi.

b Exauditur oratio prophetæ. Iuſti enim oratio aſsidua multùm valet, Iacobi 5. nam omnia quæcunque petierimus in oratione credentes, accipiemus, Matth. 21.

c Intelligit & prænuntiare videtur Vates per murum iudicij, altum & eminẽs tribunal veri ab æterno Verbi Dei Chriſti domini & redẽptoris noſtri, in quo ſedebit in die iudicij, Mat. 25. & ante quod omnes ſtabimus, Rom. 14. & 2. Corin. 5. Sequutus autem ſum hoc in verſu lectionem D. Kimhij citantis in commentariis ſuis in hunc locum ipſum Ionathanum, quòd illa melior meo quidem iudicio ſit, lectione codicis Veneti, qui hoc loco corruptus mihi videtur: ſecundum quem ſi legamus, ita vertere oportebit. Ecce autem dominus ſtabat ſuper murum iudicij, & coram illo iudicium (erat).

d Iiſac quòd pater fuerit Iacobi, qui Iſraël poſteà dictus eſt, pro ipſis decem tribubus Iſraëlis hic ſumitur: per ſanctuaria autem illorum, intelligit fana Betheli, Dani, & Galgalæ, de quibus ſatis obſeruatum à nobis comperies in cap. 1. & 4. Targumi in Hoſeam. Legitur autem יִשְׂחָק Iiſac cum ש Sin, pro יִצְחָק Iitſac cũ צ tſade bis hoc capite, ſemel pſal. 105. & Iere. 33. vt doctè & diligenter Hebræi Maſoretæ obſeruarunt: qua tamen ſufficienti & idonea ratione motus fuerit vulgatus noſter interpres, vt hoc capite bis hoc ipſum nomen יִשְׂחָק Iiſac per idolum vertat, non video, cùm hanc eandem dictionem nomen proprium Iitſaci ipſe faciat pſal. 105. & Ierem. 33. Quod autem ש Sin in צ tſade, & צ tſade in ש Sin commutentur quandoque, nemini mirum eſſe debet, quoniam literæ ſunt eiuſdem organi: dentium enim adminiculo vtraque potiſsimùm pronuntiatur, & inuicem ſæpenumero etiam in aliis linguis, ſubſtituuntur eiuſdem organi literæ.

e Hiſtoriam attingit Zachariæ, qui filius fuit Iaroubami filij Ioaſi regis, & abnepos Iehu: Zachariam enim regem occidit Sellum, & in illo genus ipſius Iehu defecit, 4. Reg. 15. Iehu porrò rex falſam religionem adorandi vitulos, quam Iaroubamus rex filius Nebati, 3. Reg. 12.

introduxerat, ſequutus cum nepotibus ſuis, populum continuerat in errore, & propterea tota illius exterminata & deleta fuit familia. Quadraginta vnum autem annos cum menſe vno poſt occiſum Zachariam regem, ipſius Iehu abnepotem, fuit Samaritanum exitium, & exilium ipſarum decem tribuum Iſraëlis, regnāte in Samaria Hoſea filio Elę, vt ex 4. Reg. 15. 16. & 17. ſupputare licet.

f Manifeſtus tenetur ſceleris & mendacij Amathſias præſul idololatra ex verſu præcedente, in quo Amoſus meminit non cædis Iaroubami regis, ſed illius ſobolis, prædicendo mortem Zachariæ filij eius in quo proſapia deſijt, nam occidit illum Sellum, vt præcedenti obſeruatione dictum eſt. Cæterùm non propter huiuſmodi criminationem Amatſiæ ſæuiit Iaroubamus rex in Amoſum prophetam Dei.

g Ob id quòd fanum vituli Betheli eſſet propius Samariæ metropoli regni, quàm eſſet alterius, quod erat in Dano, quod à Samaria multùm diſtans terram Iſraëlis ab Aquilone terminabat: ob vicinitatem loci, cùm illuc ſua falſa religione tacti frequentes irent reges Iſraëlitarum, regiam vnam in Bethelo extruendam curauerāt. Conatur porrò, ſed incaſſum, Amatſias ſceleratus ille ſua ſuperbiloquentia Verbum Dei capiſtrare, ac alligare in ore ſancti Dei prophetæ.

h Q. d. Amoſus: Non quæſtus & lucri cauſa prophetam ago, & blādè aſſentatoriéque vaticinor, vt vos pſeudoprophetæ ſoletis: nam mihi res eſt ampla domi, verùm à domino Deo vocatus, Prophetæ fungor munere, vt in ſcelera veſtra, ob quæ anima veſtra periclitatur, acerrimè inueham. Sicmin porrò (vt Hebræi teſtantur interpretes) arbores ſunt de genere ficuum, quarum fructus alendis pecoribus boni ſunt.

Cap. 8.

Quod ſequitur oſtendit mihi dominus Deus: ecce autem *a* caniſtrum plenum fructibus æſtiuis. Et dixit: quid tu vides Amoſe? reſpondi autem, caniſtrum plenum æſtiuis fructibus. Tunc dixit mihi dominus: inſtat exitialis vltio ventura cōtra populum meum Iſraëliticum, non in poſterum illis miſericordiam tribuam. Vlulatus erunt pro cantionibus illo ipſo tēpore in ædibus eorum, dicit dominus Deus: magna erit ſtrages, vbique erit, qui dicat,

cat,diſsipa, & tace. Audite hoc,qui fruſtra habetis
veluti terræ puluerem perſonam pauperum , &
exiſtimatis vos[b] impedire poſſe, ne inopes in terra
ad honores perueniant. Qui dicitis:quando adue-
niet menſis[c] in ſititius, vt annonam vendamus: &
terræ quieta[d] ceſſatio, vt aperiamus horrea, & mo-
diũ diminuamus:vt augeamus[e] monetæ precium,
& doloſas ſtateras ſupponamus. Vt poſsideamus
argẽto pauperes, & inopes[f] pro eo quod poſsidẽt,
ac vendamus tritici quiſquilias. Iurauit dominus
(tamen)ſe daturũ Iacobæis[g] gloriam, ſi perpetuò
ſuorum(malorum)operum obliuiſcantur. Nonne
propterea vaſtabitur terra, & deſtruetur omnis qui
in illa habitat? cõtra illam aſcendet rex cum copiis
ſuis, quæ numeroſiſsimæ erunt,vt ipſam totã con-
tegat, exterminétq; habitatores eius, ac ,veluti flu-
uius[h] Aegyptum, obruat. Illo autem tempore(ſi
Iſraëlitæ non reſipiſcant)dicit dominus Deus, cer-
tè ſolis rotunditatem luna[i] obtegam, & clara in lu-
ce terram obtenebrabo. Conuertam quoque feſtos
veſtros dies in luctum, & carmina veſtra omnia in
lamenta: Præcingere ſaccis omnium[k] lumbos fa-
ciam, raſuráque in omnium capitibus erit: ponam
enim illum[l] ſecundum luctum vnigeniti, finíſque
illius erit ceu dies infœlix. Ecce dies veniunt, dicit
dominus Deus: & mittam famem in terram, qua
non famelicus quiſpiam erit,vt cibo aut potu famẽ
vel ſitim expleat, quin, vt audiat verbum domini.
Expandent profectò ſe à mari[m] vſque ad occiden-
tem, & ab aquilone in orientem proficiſcentur, vt

doctrinam quærant à domino, ſed non inuenient. Tempore illo ° deficiēt animi deliquio in ſynagôga Iſraëlis, qui ſimiles ſunt formoſis puellis, quarũ abuſus ob formoſitatem ſuam fuerat cum perditis iuuenibus, proſtrati enim & affecti ſiti erunt. Qui per • delictum Samariæ iurant, & dicũt, viuat deus qui eſt in Dano, certáque affirmant ſtatuta ᵖ Beer-Sebę, proculdubio corruent, & nõ vltra ſubſiſtent.

In Cap. 8. Scholia.

a Comparat diuturnitatem peccandi Iſraëlitarum, & ſcelerum eorum vltionē æſtiuis fructibus, qui anni tempore ſuo expectato, calore æſtatis maturati & concocti colligendo vel amputantur, vel auelluntur: tardus ad iram enim dominus, mortem peccatorum non vult, ſed magis vt viuant, & conuertantur, Ezech. 33. Verumtamen vbi homines videt ſua abuti patientia, ſeuerè admodum in illos tandem animaduertit ille.

b Perinde eſt, ac ſi dixerit Amoſus: Fruſtra & incaſſum hoc conamini: nam poteſt Deus Opt. Max. è puluere erigere egenum, & de ſtercore pauperem euehere, 1. Reg. 2.

c Per menſem illum inſititium ſiue intercalarem, qui, vt ratio menſium lunariũ, quos habebant Hebræi, curſui ſolis reſponderet, bis tertio quoq; anno vltimus cõnumerabatur, intelligit anni tēpus extremũ, quo videlicet annona iam ferè conſumpta carior eſſe ſolet, tunc enim emi nõ ſolet niſi ex ſolis auaris diuitibus, qui illã ſuis in horreis cõpreſſam, exponunt lucri & quæſtus gratia, auctóq; pretio vēditant. Cæterũ Hebræis vltimus mēſis eſt luna ipſa, quæ vel integrè, vel pro parte Februario noſtro reſpondet, & ab illis appellatur אֲדָר Adar: hoc menſe hiſtoriam Eſteræ legunt Iudæi & genio indulgentes curant cuticulam ob liberationem ſuam propter Eſteram reginam, Eſter. 9.

d Per terræ quietam ceſſationem annum ſignificat ſeptimum, quo terra inculta quieſcebat, Leuit. 25. Anno enim illo carior eſſe ſolebat annona, eo quòd oporteret meſſem & collectam ſexti anni ſatis eſſe & ſufficere pro ſeptimo anno, his qui non ornatum & locupletem habebant penum ex ſuperioribus annis: itaque neceſſe erat illis, qui annonæ penuria

næ penuria laborabant, ad auarorum diuitum horrea confugere, magnóque ſuo incommodo ab huiuſmodi hominibus rapacibus frumẽta, & cætera ad victum neceſſaria emere.

e Eos taxat qui nummis præſentibus abundantes curabant à principe ſtatui, vt augeretur monetæ pretium, vt ipſi lucro inhiãtes, accipiendo ab aliquo nummos, in lance leuiore eos ponerent, ſuo commodo diminuendo illorum pretium, tanquam ſi non eſſent iuſti ponderis, aut vt proximo ſuo leues & non ſuis iuſti ponderis tradendo nummos, in lance grauiori collocarent.

f Q. d. Eo redigamus inediæ egenos & inopes, vt idipſum pauxillũ boni, quod poſsidebunt, illis cariùs annonam vẽdendo, nobis aſſumamus, & vſurpemus, eóſque ipſos etiam comparemus nobis veluti mãcipia. Eadem ferè ſuprà dixit cap. 2. quando in Iſraëlitas inuectus eſt.

g Q. d. Non euenient Iſraëlitis huiuſmodi mala, ſi corruptos mores ſuos emendauerint, ſed honoribus, otio & rebus abundabunt. Hîc cõſydera ſummam Dei bonitatem & clementiam. Per regem autem ſequenti verſu Salmanaſarum Aſſyriorum regem ſignificat venturum, ſi diuinis monitis non acquieuerint, qui quidem omni clade belli omnia peruaſtabit.

h Alludit ad Nili inundationem, qua tota ferè obruitur Aegyptus, & illa docet numeroſiſsimum exercitum, atrocitatémque hoſtis Aſſyrij, qui contra eos veniet, ſi non reſipiſcant ipſi, & ad cultum domini Dei redeant.

i His verbis etiam docet niſi pœnitentia ducantur, acerbitatem venturæ calamitatis, quam per ſolis deliquium exprimit, quod ſceptri clariſsimi nobiliſsimíq; tranſlationem ad barbaros Aſſyrios, & terræ deſolationem ſignificat. Rabbi Selomo tamen in commentariis ſuis in hunc locum, & in 35. cap. 2. Paral. ſequutus veterum ſuorum doctorum ſententiam, prædictionem hanc Amoſi ad mortem Ioſiæ regis religioſiſsimi refert.

k Antiquum lugendi modum ærumnoſo illo tempore exprimit ac prænuntiat.

l Q. d. Erit Iſraëlitarum exitus infœliciſsimus, minoríq; non afficiẽtur triſtitia, quàm afficiatur is, qui vnigenitum filium ſuum plorat: relatiuum autem Heb. & Cald. ſingulare pro plurali bis hîc expreſſum, fœmininum eſt pro maſculino poſitum prophetico more in idololatrarum contemptum: vel ad Synagogam Iſraëliticam refertur.

m Per mare hîc plagam auſtralem intelligito, eo quòd mare rubrum à parte auſtrali ſit terræ ſanctæ. Prædicit porrò paucitatem verorũ cõcionatorũ verbi Dei: Meſsis etenim multa eſt, ſed pauci ſunt operarij.

n Exitium

n Exitium & exterminationem prædicit eorum, qui inertia, mollitie & luxu perditi ac diſſoluti erant, florente Samaritano ſiue Iſraëlitico regno.

o Delictum per contemptum appellat vitulum, qui in Bethelo colebatur, non procul à Samaria, vt iam ſuprà in cap. 7. obſeruatum videre licet, vbi etiam alterius meminimus vituli, qui adorabatur in Dano.

p De Beer-Sebę annotationem vide in cap. 5. ſuprà.

Cap. 9.

Dicit Propheta: vidi gloriam domini inſidentis [a] Cerubo, & ſtetit ſuper altari, & dixit: ſi non conuertatur ad legem Iſraëliticus populus, iuxta candelabrũ [b] ſaucius certè morietur rex Ioſias, & ſubuertetur templum, deſtruentur atria, & ſacroſancti templi vaſa præda fient: eorum autem reſiduum ferro occidam, neque ex illis aufugiet, qui fuga ſalutẽ quæret, quíq; ex eis euadere putabit, non euadet. Si ſe poſſe deliteſcere [c] exiſtimauerint, tanquam illi qui in inferno ſunt, inde ob verbum meum illorum hoſtis extrahet eos: ſi etiam præcelſos [d] mõtes, quorum cacumen cœlum attingat, conſcenderint, illinc ob verbũ meum detrahet illos. Adhæc ſi putauerint ſe poſſe in ſummitatibus turrium præſidiorum ſuorum delitеſcere, ibidem indagatores conſtituam, qui cõquirent ipſos: quòd ſi in inſulas maris à verbo meo ſubduxerint ſe, ibi violẽtos populos tanquam ſerpentes delegabo, qui enecabunt illos. Si verò coram ſuo capitali hoſte in captiuitatem iuerint, illic committam, qui eos ferro interficient: obdam enim verbũ meum illis in perniciem, non autem ad vtilitatẽ. Dominus enim Deus exer-

cituum eſt, qui increpabit terrã & tremet, cladémque ſentient omnes habitatores eius: nam cõtra illam aſcendet rex cum copiis ſuis, quę numeroſiſsimæ erunt, & ipſam totã conteget, ac obruet, veluti [e]fluuius Aegyptum. Ei qui collocauit in alta arce maieſtatem gloriæ ſuæ, & ſuper terrã ſuam ipſam Eccleſiã exornauit, cuius eſt numeroſiſsimos colligere exercitus, eoſdémque per terram diſsipare, dominus nomen eſt. Nonne tãquam dilecti filij in pretio fuiſtis coram me ô Iſraëlitæ, dicit dominus? nonne Iſraëlitas de Aegypto eduxi? & [f]Peliſtæos de Cappadocia, Syros quoque de Cyrene (educere poſſum)? Ecce in conſpectum Dei dederunt ſe facinora regni nequitia perditi, ſed illud de terra delebo: verũtamen[g] non tam exacta erit conſumptio, vt omnino Iſraëliticum genus exterminem, dicit dominus. Quoniam ecce ego iubebo, & per nationes omnes Iſraëliticã ſobolem ventilabo, quemadmodum quãdo vanno (frumentum)[h] euannant, de quo per interſtitia ne lapillus quidem in terrã decidit. Gladio[i] peribunt flagitioſi omnes de populo meo, quibus in ore eſt dicere: neq; adueniet, neque accelerabit contra nos malum hoc. Tempore[k] illo regnum Dauidis, quod certò labetur, conſtituam, & inſtaurabo illius arces, eiuſdémque eccleſiã ſtabiliam: dominabitur quoque in omni regno, ac effundet, profligabítque magnos exercitus: inſtaurabitur enim illud, firmúmque erit, ſicut priſcis ſeculis. Vt Idumæorum reliquias poſsideant, & nationes omnes Iſraëlitę, quia nomen meum inuoca-

tum eſt ſuper illos, idcirco ego dominus hoc facio. Ecce tēpora venient, dicit dominus, vt obuius fiat[l] arator meſſori, & vindemiator [l] ſementem facienti: & affluent vino mero mōtes, colléſque omnes fertiles reddentur. Reducam porrò populum meum Iſraëliticum captiuum, & quas habitabunt vaſtatas inſtaurabunt [m] ciuitates, plātabunt vineas, & illarum vinum bibent, hortos facient & comedent fructum illorum. Ipſos ſanè in terra ſua [n], quam eis conceſſerim, ſtabiliam, neque errones poſtea alicubi erunt: dicit dominus Deus veſter.

In Cap. 9. Scholia.

a Ceruba כְּרוּבָא Cald. Heb. verò כְּרוּב Cerub, ſiue vulgò Cherub, & in plurali כְּרוּבִים Cerubim Heb. vel כְּרוּבִין Cerubin Cald. figuræ erant alatum iuuenem hominem referētes, aiunt doctores Hebræorum: aliquando etiam ad brutorum imagines & figuras tranſit hoc ipſum vocabulum Cerub.

b Attingit Ionathanus hoc loco hiſtoriam & cladem, 2. Paral. 35. qua conſtat Ioſiam regem Iudæ, qui pius & religioſus admodum Dei religionem inſtaurauerat, non occiſum, ſed ad mortem ſauciatum è pugna Ieroſolymam tranſlatum fuiſſe, ibíque ſepultum: intellige autem hîc metonymicῶs per cādelabrum totum ipſum templum, à quo non procul mortuus eſt Ioſias rex. Cæterùm hîc per Iſraëliticum populum non ipſas decem tribus, quę iam antequàm Ieroſolymis regnaret Ioſias, in Aſſyriam exularant, ſed tantummodo tribus Iudæ & Bēiamini intelligit: Iſraëlitico enim vel Iacobæo nomine, vt ſæpe diximus, in ſcriptura decem tribus (hoc eſt Samaritanum regnum) ſępenumero intelliguntur, hîc tamen hoc ipſo nomine duas ipſas tribus Iudæ & Beniamini videlicet, quibus Ieroſolymitanum regnum cōſtabat, intelligas tantùm oportet, quandoquidem Ieroſolymis tantùm regnauit Ioſias. Ratio porrò quam hoc loco, & aliàs aſsignare poſſumus, quare de rege Iudæ loquens totius Iſraëlitici populi meminerit, eſt, quòd iampridem multi viri boni & pij è decem tribubus ſequi nolen-

tes

tes falſam religionem Iaroubami filij Nebati authoris adorandi vitulos in Bethelo & Dano, ſe ad tribum Iudæ & Beniamini contuliſſent, regnante Roboamo Selomonis filio, 2.Paralip.11. Adhæc, quòd cùm iam decem tribuum regnum vaſtatum ab Aſſyriis eſſet, Hebræi multi, qui vel gladium, vel hoſtiles manus euaſiſſent, ſe conferre potuiſſent ad Iudæos fratres ſuos, vt ſecum viuerent. Lectio porrò R. Selomonis Latina facta ita habet: Si non conuertatur ad legem Iſraëliticus populus, emunctorium candelabri rex Ioſias ſaucius morietur. Emunctorium autem candelabri regem Ioſiam appellat, quòd fuerit ille valde ſtudioſus religionis Dei.

c Dei Opt. Max. omnipotentiam oſtendit, cuius manum effugere flagitioſus nemo tandem poteſt. In hoc autem & ſequenti verſu æditionem Venetam (quæ mendoſa & deficiens eſt) reſtituimus per lectionem R. Selomonis, quæ longè melior videtur. Hyperbolicōs autem hæc à Vate dicuntur: Dicit porrò ob verbū ſuū dominus Deus, quādoquidem ſolet ille promiſsis ſtare, & ita ſacros ſcriptores ſuos veraces oſtendit.

d Vertere etiam potes per Venetam æditionem: Si etiam ſpeculas altas, quarum ſummitas cœlum attingat, conſcēderint, illinc ob verbum meum, &c. Vbi etiam eſt Hyperbole.

e Suprà in cap. 8. meminimus inundationis Nili Aegypti fluuij, vbi eandem ſententiam iam dixit Vates.

f Q. d. Plus quàm genti aut nationi alicui faui vobis, ô Iſraëlitę? nam cùm ſim omnipotens ego, poſſem quidem liberare ac etiam reuocarę ex Peliſtæis illos, qui cum Heuçis pulſi fuerunt ſuis ſedibus, Deuter. 2. ſic etiam ex Syris eos, qui Cyrenem, de qua in cap. 1. Damaſco vaſtata, à rege Aſſyriorum acti fuerunt in exilium. 4. Reg. 16. Si enim, vt veriſimile hinc eſt, ſuperſtes fuerit Amoſus quindecim annos plus minùs ipſi regi Vziæ, qui & Azarias, vt in cap. 1. dictum eſt, appellatur, potuit ſanè vidiſſe ipſe Damaſci vrbis metropolis Syriæ exitium hoc, exiliúmque ciuium illius. Per Peliſtæos porrò Gazam vrbem Peliſtæorum ſatrapiam vnam, de qua in cap. 1. cum agro ſuo intelligit, quæ vnà cum Heuçis propter vicinitatem à Cappadocibus vaſtata eſſe potuit, vt Hebræorum doctiſsimi ſentiunt: non enim ab exitio & exilio hoc, liberationem Peliſtæorum aut Damaſcenorum in ſcriptura vſquàm legimus. Propoſito igitur & memorato Iſraëlitis ſummo beneficio à ſe accepto eos hortatur Deus Opt. Max. ad pœnitentiam, & ſuorum oraculorum obſeruationem: quod ſi non fecerint, propediem de illis actum fore.

g Sceptri regni decem tribuum trāſlationem ad Aſſyrios, & Ieroſo-

lymitani ad Romanos, atq; etiam regionis totius bellicis incẽdiis turpiſsimis deformationem prædicit: verumtamen exactam & abſolutam non prænuntiat Vates perditionem Iſraëlitarum, quin potiùs illorum reliquias ſeruandas, quando vnum ouile & paſtor vnus erunt.

h Per frumentum & lapillum eos intelligit, qui ſuperſtites tantæ cladis in exilium acti magna calamitate & ſeruitute dura admodum preſſi, ſe ex illa tandem liberare non poterunt niſi per Chriſtum, propter quem, fidelis illius affectator quilibet factus, omnia ſiue fauſta, ſiue infauſta fuerint, æquo patitur animo: grauem autem calamitatem ipſam & ſeruitutem, vanno ſiue cribro ſignificat, per cuius minuta foramina grana ipſa, aut lapilli eiuſdem magnitudinis cum granis, tranſire non poſſunt.

i Inuehitur hoc loco Amoſus in impuros & ſceleſtos homines ſui ſeculi, qui ſuam & aliorum Dei vatum prædictionem pro nihilo habebant, dicitque illos haud impunè laturos.

k Quia diuus Iacobus in oratione ſua ad apoſtolos Act. 15. verſum iſtum cum ſequenti citat & explicat, illi ſubſcribere & aſtipulari Chriſtianus quilibet pius tenetur, neque interpretationem aliam quærere, aut comminiſci debet.

l Vertere etiam potes, & vindemiator meſſem exterenti: & ſic trituræ tempus intelligere poteris. Cæterùm hac temporanea abundantia animi verè Chriſtiani trãquillitatem & ſpem oſtendit, quoniam ille totus à Chriſto domino & redemptore ſuo pendens, ſua ſorte, qualiſcunque ſit illa, contentus eſt. Eadem ferè Ioelis 3. leges.

m Id eſt: Soboleſcent Iſraëlitæ tandem conuerſi ad Chriſti filij mei fidem, qui me anteà deſeruẽrant, dicit dominus per Prophetam, euangelióque parentes benè & fœliciter tandem habebunt: æternam porrò requiem & fœlicitatem temporalibus his exprimit.

n Per terram ſuam intelligit Chriſti Eccleſiam, quæ vbiq; terrarum Chriſti veris ſectatoribus aſylum, præſidium tutiſsimum & requies certa eſt, ea enim neminem decipit aut fallit, & extra illam non eſt ſalus.

TARGVM

TARGVM SEV PARAPHRASIS CALDAICA, QVAE ETIAM SYRIACA

dicitur, in Ruthæ hiſtoriam incerto Caldęo authore, nunc primùm latinitate donata: interprete Iohanne Quinquarboreo Aurilacenſi, linguarum Heb. & Cald. Regio profeſſore.

Cap. I.

ACcidit tempore quo præerant iudices, vt dominata fuerit [a] fames in terra Iſraëlitarum: decies (porrò) fames ipſa dura mũdo cœlitus decreta eſt ab ipſius creatione ad Meſiæ tempora, ad caſtigandum per illam terræ incolas:
inceſsit (autem) prima [b] fames, Adamo viuente: 1. Geneſ.3.
ſecunda, viuente Lemecho: tertia, viuente Abraha- 2. Geneſ.5.
mo: quarta, viuente Iitſaco: quinta, viuente Iacobo: 3. Geneſ.12. 4. Gene.26.
ſexta, viuẽte [c] Boazo, qui cognominatus eſt Abtſa- 5. Geneſ.42.
nus iuſtus Bethleemita Iudæus: ſeptima, viuente 6. Hic.
Dauide Iſraëlitarum rege: octaua, viuẽte Elia pro- 7. 2. Sam.21. 8. 1. Reg.17.
pheta: nona, viuente Eliſæo in Samaria: decima ve- 9. 2. Reg.6.
rò futura eſt, non fames comedendi cibum, aut bi- 10. Amos.8.
bendi aquam, ſed audiẽdi verbum diuinę prophetiæ: quum porrò Iſraëlitarum regionem inuaſiſſet ſæua, de qua hoc in libro, fames, diſceſsit vir eximius de Bethleemo Iudææ, & profectus eſt, vt peregrinaretur in regionem Moabitarum vnà cum vxore ſua & duobus filiis. Nomen autem viri erat [d] Elimelecus, vxoris verò Naoumi, & duorũ filiorum eius Malon & Chilion, nobiles Ephratæi erãt, de Bethleemo Iudææ: venerunt porro in regionem Moabiticam, ibíque ſecundas tenuere. Cæterùm

vita functus eſt Elimelec[e] maritus Naoumi, & ipſa vidua relicta eſt, duóque ipſius filij pupilli. Tranſgreſsi autem ſunt[f] decretũ diuini oraculi, nam ſibi duxerunt extraneas vxores Moabitides, quarum alterius nomen erat Ourpa, alterius verò Rutha, quę filia fuit Eglonis regis Moabitarum, ibíq; mãſerunt plus minùs decem annos. Igitur propterea quòd verbi domini decretum tranſgreſsi ſunt, & iuncti ſunt cognatione barbaris populis, immatura morte obierunt Malon & Chilion in terra profana, & relicta eſt mulier Naoumi vidua & duob[9] orbata liberis. Surgens itaque ipſa & nurus eius, reuerſa eſt ab agro Moabitico, quandoquidem nũtium acceperat, quòd ſuccurriſſet dominus populo ſuo Iſraëlitico cibum largiẽdo illi propter æquitatem & preces, quas coram domino fundebat Abtſanus iudex, qui Boazus pius dicitur. Deceſsit igitur è loco in quo degerat vnà cum duabus nuribus ſuis. Dixit autẽ Naoumi duabus ſuis nuribus, Recedite,[f] reuertimini quæq; domum matris ſuę: clemẽter ita tractet vos dominus, atq; maritos veſtros iã vita functos, & me clemẽter tractauiſtis, illis enim demortuis, viris aliis nubere noluiſtis, quin meipſam aluiſtis & ſuſtentaſtis. Vobis tribuat dominus abſolutam mercedem pro beneficio quod detuliſtis ad me, atque etiam propter eandem mercedem quietem capiat vnaquæq; in domo (futuri) mariti ſui: tunc exoſculata eſt eas: illæ verò voce intenſa fleuerunt: dixerúntque illi, neque ad populum noſtrum, neque ad Deum noſtrum reuertemur,

mur, quin potiùs ad populū tuum tecum ibimus, vt proſelytæ fiamus. Dixit autem Naoumi, Reuertimini filiæ meæ, quare mecum proficiſceremini? an adhuc mihi nunc ſunt filij in vtero meo, quos maritos habeatis? Reuertimini filiæ meæ, ite ad populum veſtrum, quoniam ſenui, vt apta vxor marito non ſim: adhæc dico, ſi puella eſſem, mihíque ſpes eſſet, vt hac nocte cum viro nupta eſſem, atque etiam filios parerē: ad quid illos expectaretis donec adoleuiſſent, (ſicut (expectat)[h] mulier, quę reſeruatur ad cōiugiale fœdus faciendū cū propinquo per aliquod tēpus, vt nubat illa tādē viro? an propter illos vos triſtes manebitis, vt viro nō nubatis? quęſo filiæ meæ, ne contriſtetis animū meum, quoniam veſtra mea afflictio maior eſt, ſiquidem à domino mihi plaga impoſita eſt. Illæ autē intenſa voce ſecūda vice adhuc fleuerunt, & oſculata eſt Ourpa ſocrū ſuam, Rutha verò comitata eſt (vlteriùs) illam. Tunc dixit, (Naoumi) Ecce rediit vxor fratris mariti tui ad gentem ſuam & ad Deum ſuum, reuertere poſt vxorē fratris tui mariti ad populum tuum, & ad Deum tuum. Tunc dixit Rutha, ne mecum contendas, vt à te recedendo te deſeram, quoniam conuerſa ſum ego, vt proſelyta ſim: dixit Naoumi, iubemur ſeruare Sabbatha & feſtos dies, ita vt ambulare nō liceat vltra[i] duos mille cubitos: reſpōdit Rutha, quocunq; ibis tu, ibo: dixit Naoumi, iubemur ne vnà cum externis habitemus populis: reſpondit Rutha, vbicunque habitabis, habitabo: dixit Naoumi, iubemur obſeruare ſexcenta

tredecim

tredecim præcepta:reſpõdit Rutha, quod obſeruabit populus tuus obſeruabo ego, perinde ac ſi populus meus anteà fuiſſet:dixit Naoumi, iubemur, ne colamus deũ alienum:reſpondit Rutha,[k] Deus tuus Deus meus erit. Dixit Naoumi, ſunt nobis quatuor genera mortis in ſceleratos: lapidatio, exuſtio, cædes gladij & crux: reſpondit Rutha, quomodocunque morieris, moriar:dixit Naoumi, nobis eſt ſepulchrum:reſpondit Rutha, ibidem etiam [l]ſepeliar, neque in poſterum hac de re verbum facito, nam diſperéam, niſi mors me à te ſeparet. Videns igitur (Naoumi) quòd obſtinato animo eſſet illa, vt ſecum proficiſceretur, ab incœpto deſtitit. Iuerunt itaque ambæ ipſæ donec Bethleemum ingrederentur, euenítq; cùm Bethleemum intrarent, vt ad ſe cum ſtrepitu[m] cõcurrerint omnes ciues dicentes, nonne hæc eſt Naoumi? Dixit autem illis, ne vocetis me[n] Naoumi, vocate me afflictam animo, quoniam afflixit me omnipotens valde. Ego marito & filiis comitata diſceſsi, & illis me priuatam reducem fecit dominus: quorſum igitur vocabitis me Naoumi, cùm obiectum mihi à domino ſit peccatum meum, afflixerítque me omnipotens? Ad extremum reuerſa eſt Naoumi, Rutha quoq; Moabitis nurus eius cum illa venit ex agro Moabitico, aduenerunt autem ipſæ Bethleemum in diei [o]Paſchatis principio, quo incipiebant Iſraëlitæ metere primitiarum manipulum, qui hordeaceus erat.

In Cap. I.

In Cap. 1. Scholia.

a Cùm (vt Prouerb.19. ait) pigritia ſoporem pariat, & anima fraudulenta fame conficiatur: dicunt Hebræi interpretes dominum Deum ob id ſæua & dira fame hac, cuius hoc libro meminit, animaduertiſſe in Iſraëlitas, quòd mortuo Iehoſua & ſenioribus, qui Dei miracula in Iſraëlitarum fauorem edita viderant, deſides facti eſſent Iacobæi ipſi in lege Dei & eius mandatis exequendis: vt enim ex Iudicum hiſtoria videre licet, paſsim diuinis perruptis legibus, & Dei Opt. Max. labefacta religione, ad idola Barbarorum deos ſe conuertebant, & deinde cladibus variis Deo permittente ſuſceptis reſipiſcebant.

b Prima & ſecunda fames (quarum meminit Caldæus iſte interpres) fuerunt temporibus Adami & Lemechi, ſed quàm benè locos Gen.3. & 5. cap. ipſe cum aliis nonnullis Heb. interpretibus ad ea, quæ hic dicit, accommodet, non video: quandoquidem illic quando Deus terræ maledixit, non fames ſignificatur: ſed terram ipſam minùs fertilem fore vult Deus, & non ſponte, vt anteà, ferentem, vt homo in perpetuam ſui facinoris memoriam cum ſuis poſteris manum operi admoueat, & terram magno labore colat. Quis porrò fuerit author iſte, qui Caldaica lingua donauit librum hunc, Cant. cãticorum, Eccleſiaſtem, Lamentationes Ieremiæ, & Eſteræ Hiſtoriam incertum eſt, vt teſtatur Elias in præfatione ſui Caldaici dictionarij.

c Caldæus iſte interpres (cui etiam aſtipulantur Hebr. interpretes) vult Boazum (vt ex hoc loco conſtat) fuiſſe binomium, & eum eſſe iudicem ſeu rectorem illum populi Iſraëlitici, cuius fit mentio, Iud. 12. qui dictus eſt Abtſanus, ſiue Ibtſanus illic.

d Virum Bethleemitam ditiſsimũ & nobilem aſſerunt Hebræi fuiſſe Elimelechum iſtũ, & quia auarus & malo ac fraudulento erat animo, ne fame in terra dominante, de ſuo pauperibus erogaret, ſolum reliquiſſe patrium, atque in Moabitarum agrum ſuis ſecum aſportatis cõceſsiſſe, vbi ob ſcelus ſuum vnà cum duobus filiis futuris hæredibus ſuis mortuus eſt: Deus porrò pauperum, viduarum, pupillorum, afflictorũ, & fraudis auaræ vindex eſt & vltor iuſtiſsimus. Cæterùm, quãdo poſteà dixit: nobiles Ephratæi erant de Bethleemo Iudææ, perinde eſt ac ſi dixiſſet nobiles Bethleemitę erant de Ephrata, quoniã antiquitus (vt Geneſ. 35. & aliàs legitur) Bethleemus Ephrata etiam dicebatur. Vide annot. noſtras in cap. 12. Targumi in Hoſeam, in litera *c*.

e Naoumi, vt author faſciculi mirhæ ex ſuis Hebr. doctoribus citat in comment. in Geneſim, in ſectione וירא, Amonnitis fuit: vnde autem hoc expiſcati ſint illi, nõ video: ſæpenumero enim ineptiſsimi ſunt

& deliri, illi patres circuncisi, & propterea magno cum iudicio legenda ſunt eorum ſcripta.

f Cautum eſt lege, Deut. 7. & 13. ne aliquo modo ſeſe affinitate deuincirent Iſraëlitæ cum barbaris & exteris, quam tamen legem alienigenas vxores ducendo tranſgreſsi ſunt Mahlon & Chilion filij Elimelechi, & propterea (vt ſentiũt Caldæus iſte paraphraſtes & Hebręi) mortui ſunt: non enim eas vxores duxerãt Proſelytas (nam poſteà cõſuetudine quotidianæ vitæ cum ſocru ſua Naoumi, ipſa Rutha conuerſa eſt & Proſelyta facta: Ourpa verò reuerſa eſt ad ſuos) aut omnino religionis Dei ignaras, vt ipſi Dei veri religioni, & reipublicæ Iſraëliticæ conſulerent, ſicut fecit Simſon, Iudic. 14. Cæterùm, voluntate & nutu diuino poſteà factum eſt, vt Rutha gentilis mulier ad Dei Iſraëlitarum cultum conuerſa fuerit, vt non ſolùm ipſi Iſraëlitæ, ſed etiam Gentiles ſe in ſpem ſalutis & beatitudinis æternæ aſſequendę erigerẽt, per Chriſtum dominum noſtrum, qui ex Rutha Gentili muliere deſcendit, Matth. 1. Ex Hebræis porrò non deſunt, qui dixerint Ourpam etiam filiam fuiſſe ipſius Eglonis regis Moabitarum, vt ipſa Rutha.

g Ex Hebræorum interpretibus nonnulli dicunt conſultò Naoumi ter hîc & in ſequentibus paulò poſt dixiſſe nuribus ſuis, reuertimini: ꝙ videlicet alluderet illa ad modũ admittendi fidem proſelyti: pro more enim habebãt Hebræi, aiunt illi, vt antequàm ſuſciperent cultum Dei & puram religionem eius, ter repulſam acciperent, qui volebant proſelytæ fieri, hoc eſt, ex ethnicis & incircuncisis, qui volebant miſceri populo Dei. Si verò illi in opinione & ſententia ſua perſiſterent adhuc quarta vice, ſuſcipiebãtur in ipſo cultu & Dei veri pura religione. Vicem porrò Proſelytarum horum veteris legis & Synagôgæ meo iudicio repræſentant Cathechumeni ſiue nouitij in lege & Eccleſia Chriſti: illi enim ſpe futuri baptiſmatis à gẽtilitate liberati, per aliquod tẽpus inſtituuntur in lege domini noſtri Ieſu Chriſti, priùs ſcientes & callentes fidei Chriſtianæ articulos & præcepta, quàm ſanctum ſuſcipiant baptiſma, per quod ſanè omnes Chriſtum ipſum induimus, ad Galatas 3.

h Q. d. Naoumi nuribus ſuis: efficit quandoque ſanguinis cognatio, vt futura vxor maritum expectet, donec ille ad iuſtam ducendi vxorem peruenerit ætatẽ. Tale enim aliquid legimus, Gen. 38. de Tamare nuru Iudæ, quæ Selam tertium ipſius Iudæ ſoceri ſui filium expectauit, donec adoleuiſſet ille, vt ſuſcitaret duorum fratrum ſuorum (quibus ipſa nupſerat, quíque ſine liberis vita functi erant) nomen ob propinquam cognationem: & deinde, quia promiſsis non ſtabat Iudas nurui ſuæ,

fallacia

fallacia illius inceſtum cum ea inſcius commiſit ille.

i Sunt hæc ex Talmuditis ſuperſtitionibus & ſeniorum circunciſorum vanis traditionibus, quibus irrita facit recutitus ac impurus Hebr. populus Dei Opt. Max. mandata. Ex hoc autem loco conijcere poſſumus Caldæum iſtum paraphraſtem poſt ineptam ipſius Talmudi compoſitionem vixiſſe. De ſexcentis tredecim præceptis illis, quorum meminit paulò poſt, ex quibus 365. ſunt negatiua, & 248. affirmatiua, extat liber cum ſcholiis ſæpenumero ineptiſsimis cuiuſdam Rabbi Moſis de Kotſis, qui excuſus eſt Baſileæ per Henricum Petrum, & à Sebaſtiano Munſtero bona ex parte Latinus factus.

k Iſraëlita fit Rutha Moabitis aduena, mente non genere, fide non ſanguine, virtute non tribu: vnde Deo ita grata eſt, vt poſteà & regum & prophetarum ſit mater, atque ex ea deſcendat Chriſtus, Matth. 1.

l Q. d. Relicto ac exuto Moabitarum ritu in ſepeliendis mortuis & exequiis celebrandis, veſtrum ſequar.

m Licet inde colligere Naoumim non plebeiã & infimi generis mulierem fuiſſe, non enim temerè ſuprà vocauit Cald. iſte interpres, cui etiam aſtipulantur doctiores Heb. eximium virum Elimelechum illius maritum, & etiam non ineptè dixit quòd ſecundas ille cũ filiis ſuis tenuerit apud Moabitas, quandoquidem non ob aduẽtum infimæ conditionis & ſortis alicuius, populi concurſus fieri ſolet, aut propter illum tota commoueri ciuitas.

n Naoumi iucundam ſiue dulcem ſignificat, & eſt hîc alluſio ad nominis ſui etymologiam, quando dicit illa: Vocate me afflictam ſiue amaram: vtramque enim ſignificationem patiuntur Hebraïca & Cald. vocabula.

o Principium Paſchatis vocat Paſchatis diem craſtinum, qui erat decimuſquintus Lunæ Niſan, id eſt, mẽſis Martij: eo enim die azymorum erat ſolennitas, atque etiam de primitiis frugum manipulum ſeu faſciculum ſpicarum, vt lex iubet Leuitici 23. offerebant. Manipulum porrò illum hordeaceum fuiſſe dixit Caldæus iſte Paraphraſtes, cui etiam aſſentiuntur doctiores Hebræi.

Cap. 2.

Ipſi porrò Naoumi erat cognatus mariti ſui, vir ſtrenuus, ac legiſperitus de familia Elimelechi, cui nomen Boazus. Et dixit Rutha Moabitis ipſi Naoumi, eam quæſo rus, vt poſt illum in cuius oculis

gratiam inuenero, colligam ſpicas, reſpondit autem illi, vade filia mea. Abiens itaq; venit (in agrũ) & ſpicilegium faciebat in agro poſt meſſores, fortéque contigit ei portio agri, quę erat ipſius Boazi, qui erat de cognatione Elimelechi. Ecce autẽ Boazus veniens de Bethlehemo dixit meſſoribus, ſit vobis auxilio Verbum [a] domini: qui reſponderunt illi, benè tibi vertat dominus. Dixit autem Boazus puero ſuo, quem meſſoribus præfecerat, cuias eſt puella hæc? Tunc reſpondit puer meſſorum præfectus, & dixit, puella Moabitis eſt, quæ venit, & proſelyta facta eſt, cum Naoumi ex regione Moabitica. Dixit porrò, legã quæſo, ac congregem ſpicas inter manipulos, ſi quæ ſuperſit poſt meſſores: ingreſſa enim ſtetit ac permanſit iam à prima luce vſque nunc nunc: Hinc (conſtat) illã parum domi reſidere. Tũc dixit Boazus ipſi Ruthę, méne [b] audis filia mea? ne ſpicas lectũ eas in alium agrum, neq; ad familiã aliã te inde conferas, quin hîc cũ puellis meis colligas. Reſpecta per agrum quem demetẽt, & eos ſequere: haud dubiè pueris pręcepi, ne in aliquo moleſti tibi ſint, adhæc quando ſities, vade ad vaſa & vibe ex aqua, quam hauſerint pueri. Procidit autem (Rutha) in faciem ſuam, & proſtrauit ſe in terram, dixítque illi, quæ iſta eſt humanitas tua, qua tibi nota ſim ego, quæ barbara Moabitis ſum, de gẽte quæ indigna eſt, quæ eccleſiam domini ingrediatur? Reſpõdit porrò Boazus, & dixit illi, exploratũ eſt mihi ex ſapientũ ſermone, quòd quando paciſcitur dominus, non cum fœminis, ſed cum

viris

viris paciſcitur, per prophetiã tamen ſignificatum eſt mihi fore, vt proueniant ex te reges & prophetæ propter bonitatem, qua affluiſti erga ſocrum tuam, quam marito tuo demortuo aluiſti: reliquiſti etiam religionem tuam, populũ tuum, patrem & matrem tuam, ſolúmque natale, & tetendiſti, vt proſelyta fieres, ac inter populum, qui tibi nunc nuper non notus erat, habitares. Dignum præmium tibi repẽdet dominus in ſeculo hoc propter nobile facinus tuũ, ſitq; cõſummata merces tua à domino Deo Iſraëlis in vẽturo ſeculo, quòd veneris, vt proſelyta fieres, confugeréſq; ſub vmbram diuinæ maieſtatis gloriæ eius: ipſa porrò æquitas (tua) te à [c]Gehennæ iudicio liberabit, vt ſit tibi portio cum Sara, Ribca, Raële, & Lea. Tunc dixit (Rutha) clemens admodum es erga me domine mi, quandoquidem fœlicem dicendo me, vt digna recipiar in Eccleſia domini, atque etiam humaniter loquutus cum ancilla tua conſolatus es me: adhæc mihi attuliſti fiduciam de venturo aſſequendo ſeculo, vbi pro meritis eſt (præmium): ego tamen mihi indigna videor, quæ quantùm vna de ancillis tuis in illo merear. Dixit porrò ei Boazus, quando veſcendi venerit tẽpus, huc accede, & de cibo comede, intingéq; opſonium tuum in embamma, quod aceto condîtum eſt: accubuit porrò à latere meſſorum, eíque polentam [d]porrexit: comedit autem ad ſatietatem, reliquiáſque fecit. Surrexit deinde, vt ſpicas colligeret: Boazus verò pueris ſuis ita præceperat, inter manipulos etiam colligat, neque eam obiurgetis.

Adhæc dedita opera ſuo commodo diſiicite ex manipulis, vtque colligat, ſinite, neque contumelia afficietis eam. Legit itaque ad veſperá vſque in agro ſpicas, eíſq; excuſſis fuit ferè triũ Sein [c] hordei mẽſura. Tulit porrò, ac ciuitatem ingreſſa eſt: vidit autem ſocrus eius quantùm collegiſſet, quantúmque eduxiſſet cibi è pera, ac iam epulata ei dediſſet. Tũc dixit ei nurus eius, vbi hodie ſpicilegiũ feciſti? vbi in opere faciẽdo (tam) ſedula fuiſti? viro ei proſperè eueniat, qui ſe tibi cognoſcendum præbuit: tunc indicauit ſocrui ſuæ illum, apud quem in opere faciẽdo ſedula fuerat, ac dixit, nomẽ viri, apud quem ſolicita hodie in opere fui, eſt Boazus. Dixit autem Naoumi nurui ſuæ: ore ſacroſancto domini benedictus ſit ille, qui in ſua manſit amicitia cum viuis & cũ mortuis: adhæc dixit Naoumi, propinquus noſter eſt vir, ex his ad quos redemptionis ius pertinet. Dixit quoque Rutha Moabitis, adhuc etiam dixit mihi, non diſcedes à pueris meis, donec meas omnes ſegetes meſſuerint. Dixit porrò Naoumi ipſi Ruthæ nurui ſuæ, præſtat filia mea, vt cũ illius puellis egrediaris, non enim præpedieris in agro alieno. Iunxit igitur ſe (Rutha) puellis ipſius Boazi, vt ſpicas legeret, donec hordeacea triticeáque perficeretur meſsis, & cum ſocru ſua habitabat.

In Cap. 2. Scholia.

a Non caret myſterio ſacroſanctæ ſecundæ perſonæ ſacratiſsimæ Triadis locus iſte.

b Caldaïcè: Audiréne à me filia mea? pro, méne audis filia mea? Eſt enim

enim infinit. modi verbum Cald. qui quidem modus, quemadmodum apud Hebr. in multas trahitur ſignificationes: vel locus eſt corruptus.

c De Gehenna ſatis à nobis obſeruatum comperies in cap. 9. Targumi in Hoſeam prophetam.

d Cald. Farinam toſtam: nos autē vertim' polentā, ſequuti Latinum vulgatæ æditionis Latinæ interpretem: nam Hebraïcus contextus & Caldaïcus vnam & eandem habent dictionem קָלִי Cali, quæ toſtum ſignificat, cui tamē addidit dictionem קֶמַח Caldæus interpres, quæ deſignat farinam. Polenta autem, vt Galeno de alimentorū facultatib. lib. 1. Placet: quæ laudatiſsima eſt, fit ex recēti hordeo mediocriter frixo, cuius ſi copia non ſit, ait ille, nonnunquam ipſam & ex aliis conficimus. Compluribus autem, dicit idem, per ſanitatem mos eſt, eam ſapa & vino dulci mulſóque commiſtis, nonnunquam ſola etiam aqua con ſperſam, æſtate duabus tribúſve ante balneum horis bibere, aiúntque ſentire ſe hoc potu ſiti liberari. Cùm igitur polenta ex farre fricto ſeu toſto, vt iam dixit Gal. & poſtea molis fracto, vt docet Plin. lib. 18. c. 7. fieri poſsit: ac conſperſa ſiue diluta ſitim, qua multùm laborare & exuri ſolent meſſores, depellat, rectum meo quidem iudicio eſt, vt pro farina toſta, polentam verterim.

e Sein tria, Ephi ſeu Epha vnum faciebant: Sea autem, cuius plurale eſt Seïn Cald. nomen eſt menſuræ continens, vt Hebr. interpretes volunt, centum quadraginta quatuor oua. Ephi ſeu Epha igitur 432. oua continebit.

Cap. 3.

Dixit porrò illi Naoumi ſocrus eius, filia mea? non proculdubio ceſſabo, donec ᵃ requiem tibi inuenero, per quam benè habeas. Et nūc (ſe offert occaſio) nonne Boazus, qui propinquus noſter eſt, in cuius agro cum puellis illius tu fuiſti, ventilat in area hordeum ad auram nocturnam? Laues igitur te, & delibuta iucundè oleas, concinnéque veſtita deſcendas in aream: non te videndam præbebis viro donec epulatus fuerit ille. Cū verò ſe ſomno ipſe dederit, locum in quo dormierit obſeruabis, & eò ibis, & deteges pedes eius, & dormies: deinde ab

ipſo

ipſo conſilium petes, quandoquidem te ſapienter monebit ille, quid facias. Tunc dixit illi, quicquid dixeris faciam. Deſcendit igitur in aream, fecítque omnino, vt iuſſerat ei ſocrus eius. Curauit autem Boazus corpus cibo & potu, & corde ſobrio benedixit nomini domini, qui illius orationem exaudiuerat[b], fecerátque famem ceſſare in terra Iſraëlis, ac venit, vt in acerui extremitate dormiret: Rutha autẽ clam venit, & pedibus illius detectis dormiuit. Accidit autem media nocte vt expauerit vir, ac trepidarit, vietúmque redditum fuerit ipſius corpus, vt raphanus, præ timore: videns porrò mulierem ad pedes ſuos dormientẽ, libidinem ſuam cohibuit, vt rem cum illa non habuerit, Ioſephi iuſti imitatione, qui rem cum Aegyptiaca vxore heri ſui habere recuſauit: imitatione etiam Paltielis pij filij Laiiſi, qui gladium applicuit inter[c] ſeipſum & inter Michalam Saulis filiã, quæ Dauidis vxor erat, etenim rem cum illa habere noluit. Dixit autem (Boazus) quęnam es tu? & reſpondit, ego ſum Rutha ancilla tua: accidat quæſo[d] nomen tuum ancillæ tuę, vt me vxorem ducas, quoniam propinquus es tu. Tunc dixit (Boazus) benedicta tu à domino, filia mea! præſtantiorem reddidiſti pietatem poſteriorem tuam priore: prior (enim ea eſt) qua proſelyta facta es: poſterior verò qua negotium tractaſti tuum veluti mulier, quæ ad coniugiale fœdus faciẽdum cũ propinquo mariti demortui reſeruatur aliquo tempore, donec adoleuerit (ille) nõ interim iuuenes ſequendo, vt cum illis ſcortareris ſiue pauperes,

Geneſ. 39.

peres, ſiue diuites fuerint. Nunc igitur filia mea, ne metuas, quicquid dixeris, in fauorē tuum faciam, quoniam notum eſt omnibus ſenatoribus ſupremi ſenatus populi mei, quòd inculpatę vitę mulier tu ſis, & ad portandum iugum præceptorum domini virtute prædita. Nunc porrò cùm verum ſit, quòd propinquus ego ſim, certè eſt alter etiā propinquus, ad quem magis, vt redimat, ſpectat. Pernocta (hîc), & ipſa prima luce, ſi te redimat vir, ad quē ex lege pertinet redimere te, certè res benè habebit, ſi redemerit, vt genus conſeruet (demortui): ſi verò id facere recuſarit, redimam te ego, Deúmq; teſtor, ſicut tibi dico, faciam, quieſce ad auroram vſque. Dormiuit igitur ad pedes eius, vſque ad dubię lucis, ob tenebras, crepuſculum, quo ſe inuicem homines cognoſcere non poſſunt: cæterùm pueris ſuis dixit, ne cuiquam manifeſtaretur, mulierem aliquam in aream veniſſe. Adhæc dixit, exhibe linteum, quo tegeris, illúdque tene: quod cùm teneret, menſus eſt hordei [e] Seïn ſex, quæ illi ſuperimpoſuit: ei enim cōceſſæ fuerunt à domino vires ſufficientes ad illa portāda, ſtatímque (ab ea) per prophetiam creditum eſt, quòd à ſe procederēt ſex iuſti qui futuri erant mundo, quorum quiſque benedicendus erat ſex [f] benedictionibus: Dauid, Daniel cum ſociis ſuis, & rex Meſias: Boazus porrò vrbem ingreſſus eſt. Venit etiam Rutha ſummo mane ad ſocrum ſuam, quæ (illi) dixit, [g] qualis es tu filia mea? explicuit autem ei, quidquid illi vir ille fecerat, iuxta enim verbum prophetiæ, quæ Boazo

ipſi reuelata fuerat, tractauerat illam (Boazus.) Adhæc dixit, ſex iſta Scin hordei dedit mihi vir, ſiquidem mihi dixit, non redibis ad ſocrum tuam vacua. Tunc dixit (Naoumi) domi mecum mane, filia mea, donec quomodo cœlitus [b] decretum fuerit cognoſcas, atque etiam quomodo deciſum fuerit negotium, non enim ceſſabit vir, donec negotio hodie finem bonum impoſuerit.

In Cap. 3. Scholia.

a Requiem illam vocat maritale coniugium, quo ſanè præcipua cura rei familiaris & domeſticæ totius, penes hominem frugi maritum eſſe debet, quoniam vxoris propriæ eſt marito tantùm inſeruire & obſequi, familiam domi curare, quæſtum ac lucrum, quod maritus fecerit, recondendo ſeruare.

b Hoc iam dixit ſuprà, cap. 1.

c Cald. Inter ſermones, Suple, ſuos, & inter Michalam: id eſt, Paltiel, qui 1. Samuël. 25. vocatur Palti, 2. Samuël. verò 3. Paltiel, dum promitteret ipſe ſe rem non habiturum cum Michala filia Saülis, quam ei vxorem dederat Saül fugiente Dauide illius perſequutionem, 1. Samu. 25. g gladium poſuit inter promittendum inter ſe & ipſam Michalam: vt dicit Caldæus iſte Paraphraſtes, cum antiquis Hebr. interpretibus, qui fortaſsis viderant annales illos Regũ, qui interciderunt: nam libri Regum quos hodie habemus, in quibus hoc ſcriptum non eſt, illorum tãtùm ſunt epitoma, vt ex eorum lectione paſsim conſtat, qui nos ſæpiſſimè ad illos annales remittunt. Ratio porrò quæ Paltielem eò adduxit, vt ita fecerit, aiunt Hebræi doctiores, fuit, quòd non haberet legitimum repudij libellum Michala à Dauide priore marito ſuo: & propterea Dauidem ipſum non puduit illam 2. Samuël. 3. repetere: non enim veriſimile eſt Dauidem, qui optimè legem callebat, eam repetiuſſe, ſi polluta fuiſſet illa concubitu Paltielis ſecundi mariti, cùm lex Deut. 24. vetet, ne quis prior maritus, etiam altero qui repudiatam duxerat mortuo, recipere aut repetere illam poſsit: neq; debet quiſquam inſiſtere in hoc, quod legitur 2. Samu. 3. videlicet ꝙ Paltiel Michalam ipſam à ſe decedentem flendo proſequutus fuerit: quandoquidem (vt Hebræi

Hebræi dicunt doctores) flebat ille, quòd à ſe recederet Michala ipſa, quæ tantiſper dum apud ſe manſerat, fuerat ei continentię exercitium. Vel (vt noſtri ſentiunt) flebat Paltiel gaudio perfuſus, eò quòd intacta à ſe ad Dauidem verum maritum ſuum rediret ipſa Michala. Quæſtionem porrò mouere etiam non debet, quod ſcriptum inuenitur 2. Samuël. 21. Nempe Dauidem accepiſſe quinque filios Michalæ ex Adriele genitos, quos poſteà tradidit Gibaonitis cruci affigendos: quoniam intelligitur ita locus ille: videlicet quòd fuerint quinque illi filij Merobæ primogenitæ Saülis, quam vxorem duxerat Adriel, 1. Samuël. 18. & quòd Michala ipſius Merobæ ſoror, quæ ſterilis liberos non habebat, enutriuerit, ac adoptauerit eos, eáque de cauſa dicta illorum mater fuerit. Illa porrò eſt illius loci, 2. Samuël. 21. interpretatio, quam adferunt Caldæus interpres cum Hebr. qui illic quoque dicunt Hebraïſmum eſſe ſimilem illis, quorum alter eſt hoc in libro, cap. vlt. vbi legitur. Natus eſt puer ipſi Naoumi: quum tamen Naoumi pueri Obedis mater non fuerit, ſed ipſa Rutha illius nurus. Alter verò, Numer. 3. vbi ſcriptum eſt, Et hæ ſunt generationes Aharonis & Moſis: vbi duntaxat meminit ſcriptura filiorum Aharonis, ſed quia educauerat & inſtruxerat Moſes Aharonis filios (vt dicunt illi) erant velut ipſius Moſis generationes Aharonis fratris filij. De formula porrò libelli repudij qua vtuntur Hebræi, quæ tamen ſcripta non eſt in contextu, hoc quod ſequitur obſeruare licuit.

Libellus diuortij, ſiue repudij Hebraïcè Deuteronom. 24. vocatur סֵפֶר כְּרִיתֻת Sepher Kerithuth, id eſt, libellus abſciſionis, quoniã eo libello ita omnino abſcindebatur à marito vxor, vt poſteà duo vna caro deſinerent eſſe, nihilque in poſterum commune haberent. Formulæ autem libelli repudij exemplum, quo Hebræi vtuntur, & quo vſus videtur Rabbi quidam nomine Ieïel Iudæus Pariſienſis (in cõtextu enim ſacro nuſquàm illud inuenitur) ſcriptum reperi apud Rabbinum Moſem de Kotſi in libro ſexcentorum tredecim præceptorum, ex affirmatiuis præcepto 50. quod Latinum factum ita habet. Die tertia hebdomadis, vigeſima nona lunæ octobris, anno quinquies milleſimo decimo octauo à mundi creatione, ſecundum numerum, quo numeramus nos hîc Pariſiis vrbe, quæ ſita eſt ad flumina Seine & *Bieure. Ego N. cognominatus N. filius N. ſacerdotis, qui hodie dego Pariſiis vrbe, quæ ſita eſt ad flumina Seine & Bieure, volui ex animi mei conſenſu ſine coactu, & dimiſi, & deſerui, & repudiaui te tua cauſa: te vxorem meam N. cognominatam N. filiam Rabbi N. ſacerdotis, quæ fuiſti vxor mea antehac, ob id enim deſerui & dimiſi & repudiaui te tua cauſa, vt ſis ſoluta, liberúmque tibi ſit abeundi, vt nubas viro cuicunque voles,

*Bieure paruus eſt fluuius, qui à pago nomine Bieure per pagos Arcus Iulij & Gentilitium præterfluens, per ſaliceta, non longè à Turricula hodie influit in fluuium Sequanam, quem Gallico vocabulo Seine vocauit hîc.

nec vir quiſpiam impediat negotium tuum ex hoc die & in æternum. Ecce autem permiſſa es vnicuique viro, & hic eſt, qui erit tibi à me libellus repudij & ſcheda dimiſsionis, & inſtrumentum deſertionis iuxta conſtitutionem Moſis & Iſraëlis. Oportet autem duorum teſtium nomina ſcribi in medio libelli, & tres mulieris generationes exprimi hoc modo. N filia N. filij N. filij N. Deinde antequàm in manum mulieris detur libellus ab ipſo marito eam repudiante, magna diligentia & ſuperſtitione obſeruant, vt, ſi omiſſa fuerit aliqua litera, aut repetita, aut cum alia confuſa cernatur, inualidum habeatur inſtrumentum, & de nouo aliud præcipiant exarandum, quod tandem ſubſcribunt ipſi teſtes, tantùm ad ſpatium lineæ vnius ſcripturæ ipſius inſtrumenti. Cæterùm formula libelli repudij, qua veteres Romani vſi ſunt, fuit, Res tuas tibi agito: res tuas tibi habeto. Caius lege. Diuortium. digeſtis de diuortiis. Libelli porrò repudij Romanorum quatuor cauſas enumerat Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 4. cap. 8. Illæ ſunt. Si in adulterio, aut veneficio, ſeu clauium adulteratione deprehenſa foret, aut ſi vinum biberet mulier.

d Optimè mea quidem ſententia explicuit hoc loco Caldæus iſte Paraphraſtes, quid ſibi velit Hebraïcus contextus per expanſionem alæ, ſiue pallij ſuper Rutham.

e De Seïn ſatis ſuprà dictum eſt in cap. 2.

f Hebræorum antiqui & recentiores interpretes, qui ſæpiſsimè ineptiunt, & ob id cum iudicio legendi, non hoc loco in ſuis deciſionibus & ſcriptis conſentiunt cum Caldæo iſto interprete: nam rectè quidem tribuunt illi ſoli Regi Meſiæ (qui ex iſta Rutha deſcēdit, & iam redemit nos) ſex illas benedictiones, quibus certè donatus eſt Meſias ipſe redemptor noſter: eas enumerat Eſaïas cap. 11. his verbis: Super illo requieſcet Spiritus domini: Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſciētiæ & timoris domini. Per Danielis ſocios porrò intellexit Ananiam, Miſaëlem & Azariam, Daniel. 1.

g Q. d. Quomodo ſucceſsit negotium, quod tractādum ſuſceperas?

h Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio, Iacob. 1.

Cap. 4.

Aſcendit autem Boazus ad portam conſeſſus ſenatorum, & illic ſedit cum ſenioribus, & ecce

[a] præteribat propinquus, de quo loquutus fuerat Boazus cum Rutha, cui dixit, diuerte, ſede hîc, vir, qui [b] deſertor eſt viæ ſuæ: tunc diuertit & conſedit. Accepit verò (Boazus) decem viros de ſenioribus vrbis, quibus dixit, ſedete hîc, & conſederunt. Tũc dixit (Boazus) propinquo, partem agri, quæ fuit fratri noſtro Elimelecho, vendit Naoumi, quæ reuerſa eſt ex agro Moabitico. Ego verò deliberaui me tibi ſignificaturum, dictúrumque, vt acquiras coram ſenatoribus, & corã ſenioribus populi mei: ſi tibi cordi ſit redimere, redimito: ſi verò non, ſignificato mihi, vt intelligam: non enim eſt, cui ante te redimere liceat, & qui ſicut tu ad repetendum (agrũ ipſum) propinquus ſit: ſciã igitur à te (quid ſentias) vt poſt te redẽptor ſim: dixit autẽ (ille) ego redimam. Tunc dixit Boazus, eodẽ die quo agrũ acquiſiueris de manu Naoumi & Ruthæ Moabitidis vxoris demortui, teneberis tu redimere & petere cognatam ipſam (viduam) vt eam vxorem ducas, ad conſeruandum [c] nomen defuncti in hęreditate illius. Reſpondit autem propinquus: [d] hoc ſanè damno non poſſum ego redimere mihi: quum enim vxorem habeam, me non deceret aliam ſuperducere, quandoquidem concitaretur ob id domi meę diſcordia, & fraudarem hęreditatem meã: redimito tu tibi, cùm tibi vxor non ſit, quãdoquidem redimere non poſſum ego. Erat autem vetus hæc atque vſitata conſuetudo apud Iſraëlitas, quãdo [e] accipiebant, vel dabant, vel redimebant, vel cõmutabant inuicem: vt confirmarent totum nego-

tium, [f] extrahebat (qui cedebat ſuum ius) thecam dexteræ manus ſuæ, & per illam poſſeſsionem dimittebat proximo ſuo: ſic ſanè conſueuerant Iſraëlitæ coram teſtibus proximum ſuum in poſſeſsionem mittere. Dixit porrò redemptor ipſi Boazo: in poſſeſsionem venito, tibíque poſsideto: tunc tulit Boazus thecam dexteræ illius, & in poſſeſsionem venit. Dixit porrò Boazus ſenioribus, totíque populo: teſtes vos hodie eſtote pro me, quòd acquiſiuerim de manu Naoumi, quęcunque fuerunt, tam Elimelecho, quàm Chilioni & Maloni. Adhuc quoque Rutham Moabitidem Malonis vxorem mihi pro vxore comparaui, vt defuncti nomen cõſeruem in hæreditate ſua, ne nomen pereat demortui à fratribus ſuis, & à [g] ſenatu loci illius: teſtes vos hodie pro me eſtote. Reſponderunt autem omnis populus qui in ſenatu aderat, omnéſque ſeniores, teſtes erimus nos: concedat dominus huic mulieri, quæ tuas ingreditur ædes, ſicut Raëli & Leæ, quæ ambæ ædificauerunt domum Iſraëlis patris noſtri duodecim ex tribubus, téque ſtrenuum præbe in Ephratha, ac nomen in Bethleemo aſſequaris. Sit

Geneſ.38. etiã proſpera domus tua, ſicut domus Peretſi, quẽ peperit Thamar ipſi Iehudę, de prole quam ex hac puella tibi dabit dominus. Duxit porrò Boazus Rutham vxorem, & ex congreſſu cum illa, diuino beneficio grauida facta eſt, peperítque filium. Tũc dixerunt ipſi Naoumi mulieres: benedicta ſit diuina maieſtas, ex quo non defuit tibi hodie redemptor, cuius nomen ex [h] iuſtis in Iſraële recenſeatur.

Tibi

Tibi ſanè vitam incolumem conſeruabit, tuámq; fouebit ſenectutem, quoniam nurus tua, quæ deamat te, peperit illi: ipſa profectò in viduitate tua tibi magis frugi fuit, quàm filij [i] multi. Accepit autem Naoumi puerum, & impoſuit illum gremio ſuo, eíque nutricis vice fuit. Cæterùm impoſuerũt illi vicinæ nomen, dicendo, natus eſt puer ipſi Naoumi, vocauerúntque illum Obedum: ille pater fuit Iiſaï patris Dauidis. Iſtę autem ſunt generationes Peretſi. Peretſus genuit Eſronem. Eſron autem genuit Ramum, Ramus autem genuit Amminadabum. Amminadabus autem genuit Naſonem, [k] Naſon autem princeps fuit domus paternæ videlicet Iudæ, & genuit [l] Salmam iuſtum illum, qui fuit Bethleemita: concurſum porrò, quem ceſſare fecerant cuſtodes, quos per vias collocauerat Iaroubamus ſcelеroſus, certè fecerunt patris imitatores, filiíque ſtrenui, vt decebat. Salmon autem genuit Abtſanum iudicem, ille eſt, Boazus [m] iuſtus, ob cuius æquitatem conſeruatus fuit populus Iſraëliticus ab oppreſsione capitalium hoſtium ſuorum: per preces illius etiã ſoluta fuit fames ex terra Iſraëlitarum: Boazus autem genuit Obedum, qui pectore candido Deum Opt. Max. [n] coluit. Obedus autem genuit Iiſaïum, cui [o] ſerpentis cognomen factum eſt, eo quòd animam ſuam non impia fraude obligauerit, qua dominium in illum habuerit diabolus: adeò etiam longæuus fuit, vt redierit Deus in memoriam conſilij, quod ſerpens dedit ipſi Auæ vxori Adami, de comedendo de fructu

arboris,

arboris, ex quo qui comederent, ſapientes forent ad diſcernendum inter bonum & malum, ob ſanè conſilium illud morti obnoxij facti ſunt omnes terræ incolæ, eadémque fraude mortem etiam ſentiit Iiſaïus Iuſtus: ille videlicet, qui genuit Dauidem regem Iſraëlitarum.

In Cap. 4. Scholia.

a Vel (vt ex eo quod ſequitur inferri poteſt) latenter tranſibat, ſiue irrepebat propinquus, &c. De ſenatoribus porrò, quot & quales eos oportebat eſſe, vide annotationes noſtras in cap. 5. Targumi Lament. Ieremiæ.

b Caldaïſmus: id eſt: Vir qui, quod ex Moſis lege debet, non facit. Sic enim locus mihi intelligēdus videtur: Elias tamen in Caldaïco dictionario ſuo hunc locum citās eum ita verti & intelligi meo iudicio vult. Vir qui abſconditor eſt viæ ſuæ. Quaſi dicere voluerit author iſte ſecundum Eliam. Vir qui iter hac faciendo irrepit, & videri non vult: fortaſsis enim ille iam viderat, aut intellexerat Rutham cognatam ſuam adhuc iuuenem, & ætate idoneam ſatis ad iterum nubendum alteri viro eſſe, & quod poſteà euenit, timebat, non ignarus conſanguinitatis & generis ſui. Aut porrò clàm tranſibat, ne in ſubſelliis & foro detentus ob publica commoda & negotia priuata ſua & propria eis poſtponeret: nam, vt ſatis conſequentia demonſtrant, ardebat ille auaritia, ſiquidem agrum, ſed vxorem vita functi minime redimere voluit. Cæterùm Caldaicum verbum צְנַע relinquere, & abſcondere ſignificat, צְנִיעָן verò nomen ab illo deductum, quo hîc vſus eſt Caldæus iſte interpres, deſertorem, aut (vt ita dicam) abſconditorem: quare bona eſſe poteſt vtraque verſio.

c Hoc dicit, quia primogenitus ex tali matrimonio dicebatur de nomine defuncti, & ad eum pertinebat ipſius mortui hæreditas: legem vide Deut. 25.

d Elias in Caldaïco dictionario ſuo legit כְּהַאי גַוְונָא Id eſt. Secundùm hanc ſimilitudinem: q. d. Sicuti mihi propoſuiſti redimere, non poſſum, &c In Veneto autē codice ſecundùm quod vertimus, legitur.

e Elias in Cald. ſuo dictionario in radice מְּרַךְ hunc locum, vt vertimus, cenſet vertendum

f In

f In Deuteron. vigeſimoquinto capite lex dicit: Si nollet frater defuncti ſine liberis (id eſt, gradu ſanguinis propior) vxorem ducere viduam demortui, vt ad curiam accederet vidua ipſa, cognatóque illi, qui eam vxorem ducere recuſabat, coram ſenatoribus detraheret calceum de pede, ac in faciem eius ſpueret: hîc autem, quia in ſenatu non fuit ipſa Rutha, ſed ab area Boazi domum ad ſocrum ſe contulerat, vt ſuprà in fine cap. 3. legitur, Caldæus iſte interpres paraphraſticũs docere videtur modum redimendi & acquirendi ſibi vxorẽ alienigenam proſelytam, quæ fortaſsis per conſuetudinem adeſſe in ſenatu non debebat, ſed futurus maritus ipſius viduæ quæ paſſa repulſam erat à proximo mariti mortui, non calceum detrahebat, ſed chirotheeam dexterę manus ipſius proximi genere, qui recuſabat viduam vxorem ducere. Cæterùm נַעַל hîc per Caldæum interpretem, & in pſal. 60. per Hebræos nonnnullos mea quidem ſententia non ineptè, pro chirotheea accipitur. Vt autem locum hunc concludam, non explicandus eſt verſus iſte per legem illam, Deut. 25. vt communiter fit, ſi diligenter conferatur iſte contextus etiam Hebraïcus cum illa lege. Omiſſum porrò eſt in Veneta æditione hoc in verſu Cald. verbum טְלַע Extraxit, quod rectè quidem & emendatè Elias in ſuo Cald. dictionario, quando quid ſit נַרְתֵּק docet, ex emendatiori fortaſsis codice repoſuit: in ſuo Teſbi quoque quid ſit נַרְתֵּק idem Elias declarat.

g De ſupremo ſenatu Ieroſolymitano, déque ſingularum aliarum vrbium minoribus ſubſelliis, vide obſeruationem noſtram in cap. 5. Targumi à nobis latinè facti in Lament. Ieremiæ prophetæ.

h Q. d. Qui propterea quòd, vt lex iubet, Rutham nurum tuam duxit vxorem, iuſti nomine dignus habendus eſt.

i Secundum Hebræum contextum eſt: quàm filij ſeptem, & ſumitur numerus ſeptenarius pro numero incerto illic, rectéque Hebraïſmum illum intellexit hîc Caldæus iſte paraphraſtes dicendo, quàm filij multi. Quare autem in ſcriptura ſeptenarius numerus pro incerto, aut infinito ſumatur numero, iam obſeruatum à nobis comperies in Targumum Latinum, in cap. 1. Amoſi.

k Numer. 1. & 2. & etiam 1. Paralip. 2. Naſon Aminadabi filius princeps filiorum Iudæ dicitur: Perſtringere autem hoc loco videtur Caldæus paraphraſtes hiſtoriam ſceleroſi regis Ierabeami filij Nebati, quę ſcripta eſt 3. Reg. 12. Ille enim Ierabeamus primus rex decem tribuum Iſraëlitarum, vt in Targumo in Ecclesiaſtem cap. 3. teſtatur Cald. interpres, & D. Kimius ex veteribus ſuis Hebr. doctoribus in cap. 5. Ho-

ſeæ, duobus conſtitutis vitulis quos adoraret populus, altero videlicet in Bethelo, & altero in Dano, viam cuſtodibus muniuit, vt conſuetudinem intermitteret populus aſcendendi Ieroſolymam, vt in templo adoraret & offerret, ſicuti anteà ex lege ſolebat ſaltem trium ſolennitatum per annum recurſu, Deuter.16. Verùm ſi quæſtionem mouerit, Bethleemum oppidum non fuiſſe de ditione Ierabeami regis impii, ſed de ditione tribus Iudæ, quæ ſola cum tribu Beniaminæa partes ſequuta eſt Reabeami filii & hæredis Selomonis regis, & ſic impediri non potuiſſe à Ierabeamo ipſos Bethleemitas quominus Ieroſolymam pro arbitrio ſuo proficiſcerentur: cum diuo Hieronymo de locis Hebraïcis, quando de Berſabee loquitur ille, reſpondendum cenſeo, tribum Iudæ bellicoſiſsimis viris polluiſſe, & crebrò ſuperando aduerſarios in omnibus tribubus principatum tenuiſſe: & idcirco etiam aliarum tribuũ ſortes in eius funiculo interdum nuncupantur. Itaque quia ſtrenui viri fuerunt principes & reges tribus Iudæ, qui ab Salma Bethleemita Naſonis huius filio duxerunt originem, impedire non potuit Ierabeamus ipſe, nec illius poſteri, tribum Iudæ & eius ſubditos, quin in Selomonis templo adorarint & obtulerint, atque etiam (vt lex iubebat) concurrere potuerint.

l Salma binomius eſt, nam in principio verſus ſequẽtis vocatur etiam Salmon.

m Q.d. Quia tantiſper dũ moderator & rector Iſraëlitici populi fuit Abtſanus, ita ex æquo & bono iudicauit, vt propterea diuino beneficio nullus illi bellum mouerit, non enim in illius hiſtoria Iud.12. legimus toto tempore ſui magiſtratus bellum aliquod ei fuiſſe.

n Alludit ad Obedi nomẽ, quod cultorem ſiue ſeruiẽtem ſignificat.

o Serpentem altero nomine Iſaïum ipſum patrem Dauidis regis appellat, ob ſuam altiſsimam prudentiam, per quam diaboli deuitabat inſidias: prudens animal enim dicitur ſerpens, Matth.10. his verbis: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: quandoquidem ſerpens ipſe, vt ſibi ab externis iniuriis caueat, quando dormit, toto corpore ipſo caput ſuum, cui quidem valde timet, veluti tegere & munire ſolet.

TARGVM

TARGVM SEV PARAPHRASIS CALDAICA, IN LAMENTATIONES IEremiæ prophetę, nunc primũ latinitate donata: interprete Iohanne Quinquarboreo Aurilacenſi, linguarum Hebr. & Cald. Regio profeſſore.

VETVS AEDITIO.

Cap. I. א.

QVomodo ſedet ſola ciuitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina gentium? Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.

VERSIO EX CALD.

Cap. I.

DIxit Ieremias propheta, & Sacerdos eximius, talis omnino lata eſt ſententia aduerſus Ieruſalem, & aduerſus populum eius, vt exiliis multatus fuerit, & maculam nomini inuſtam deplorarit, qualis illa, qua multati fuerunt Adam & Eua, qui eiecti fuerunt de horto voluptatis, plangente domino mundi, fœlicitatem illorum. Quemadmodum [a] *(autem) remiſsiùs in iudicando cum illis egiſti, ita vt dixeris te doluiſſe grauitatem illius culpæ, quæ erat in* [b] *eius corde: ſic etiam reſpice eam, quæ in ſolitudine tanquam vir* [c] *ſaucius habitat, quem conſtituunt in penetralibus, vt tranquillitate fruatur: ciuitas enim quæ exaltata fuerat apud populos & principes in prouinciis, quæ ei, quòd ſub illius ditione eſſent, tributa honorifica pendebãt, & ad hæc munera illius ciuibus ſingulatim dabant, quæ plena fuit cœtibus, & populis multis, euacuata eſt illis, ac facta ſimilis viduæ.*

EX CALD. | VET. AED.

Miſſi à Moſe propheta exploratores ſunt, vt explorarēt terram, qui reuerſi, vbi retuliſſent mali aliquid de terra Iſraëlis, fuit aūt hoc renūciatum nocte nona dierum Ab, populus domus Iſraëlis audito nuntio illo malo quod retulerāt de terra Iſraëlis, intēſa voce nocte illa fleuit: vnde ſtatim in eos exarſit ira domini, ita vt eadē ipſa nocte decreuerit dominus, fore vt exularent ipſi, quādo deſolaretur domus Sanctuarij: propterea enim dictum fuit in prophetia Ieremiæ prophetæ eximij, fore vt deſolaretur Ieruſalem à Nebucadnetſare impio, niſi illos pœniteret,[d] venitq; ſtatim, qui argueret populum domus Iſraëlis, ſed recuſarunt audire verbū illius, & propterea venit Nebucadnetſar impius, qui deſtruxit Ieruſalem, domúmque Sanctuarij inſtar clibani ſuccendit, nona dierum menſis Ab: quo (die) certè adeò plorauit Synagôga domus Iſraëlis, vt fluxerint lachrymæ illius per maxillas eius, neq; fuit, quod illam bene ſperare iuſſerit, ex omnibus[e] idôlis eius, quódque aſſectatores illius conſolādo ſequutum fuerit, interim dum exularent: itaque omnes fœderati illi condemnantes illam, verſi ſunt in capitales hoſtes.

Num. 14.

Ab mēſis, noſtro Iulio plurimùm reſpō det.

Nu. 14. & 16.

Hoſeæ 2.

Idôla amatores dicuntur.

ב Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui cōſoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius ſpreuerūt eam, & facti ſunt ei inimici.

Abiit domus Iehuda in captiuitatem, eò quòd afflixerit pupillos & viduas, & propter duram ſeruitutem, qua premebant fratres ſuos

ג Migrauit Iudas propter afflictionē, & multitudinem ſeruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem: omnes perſe-

VET. AED. *EX CALD.*

pe ſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias.

filios Iſraëlis, qui venundati fuerant illis: ancillas & ſeruos ſuos, qui erant de ſemine Iſraëlis, in libertatem non aſſeruĕrāt, qui propterea non traditi fuerunt in manus populorum, Synagôga verò Iudaïca habitauit inter populos, nec ei ſeruitutis duræ, qua oppreſſa fuit, intermiſſio vlla contigit: omnes quoque, qui perſecutores eius erant, illam in ſcelera prolapſam inter terminos apprehenderunt, & afflixerunt.

ד Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem: omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gemētes, virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine.

Tantiſper dum ſtaret Ieruſalem, renuerunt Iſraëlitæ aſcendere Ieroſôlymam, vt comparerent coram domino tribus vicibus quotannis, quare propter iniquitates ipſius Iſraëlis, euerſa fuit Ieruſalem, & luctuoſæ ſunt viæ Tſiion, quod non ſit, qui ad illam veniat tempore ſtatarum feriarum: omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius ingemiſcentes, quòd ceſſauerint oblationes, virgines eius plangentes, eò quòd deſierint egredi decimaquinta dierum Ab, & in die expiationum, quæ eſt decimo dierum mēſis Tiſri, & ad mercatum in nundinis: ipſa verò Ieruſalem ſummo in mœrore iacet. Deut.16.b. Leuit.16.f. & 23.e. Heb.13.b. Menſis Tiſri, plurimùm noſtro Septēbri reſpondet.

ה Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt: quia dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudi-

Conſtituti fuerunt illi hoſtes in capita, & inimicis proſperè ſucceſſit, quoniam contriuit illam dominus. Ad augēdum illius dolorem, infantes

EX CALD. VET. AED.

fantes ʒ eius iuerunt in capti uitatem coram hoſte ſuo.

nem iniquitatum eius: paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

Et egreſſus eſt à Synagoga Tſion omnis ſplẽdor eius, principes eius oberrarũt propter cibum, quemadmodum cerui qui in deſerto errãt, & non inueniunt locum aptum pro paſcuis ſuis, venerunt enim ad virium defectionẽ, ita vt in illorum poteſtate nullo modo ſitum fuerit fugam capere, qua liberarentur ab hoſte.

ו Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. Facti ſunt principes eius velut arietes non inuenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequẽtis.

Recordata eſt Ieruſalem dierum antiquorum, quibus poßidebat[b] munitiones, & arces, præuaricationis etiam, & dignitatis excellentiæ in toto terrarum orbe, expetibiliúmque ſuorum, quæ poſſederat ipſa à diebus antiquis: propter ſceleſtum facinus enim venit populus eius in manus ipſius Nebucadnetſaris impij, qui afflixit illum, neq; eſt, qui auxilium præſtiterit illi: viderũt illam hoſtes, cùm iret in[i] captiuitatem, riſerunt illius felicitatem, qua iam priuata erat ipſa.

ז Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præuaricationis: omniũ deſyderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & nõ eſſet auxiliator: viderũt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbatha eius.

Graue ſcelus commiſit Ie-

ח Peccatũ peccauit Ieruſalem

VET. AED.

ruſalem, propterea inſtabilis facta eſt: omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipſa autem gemens, & conuerſa eſt retrorſum.

ט Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. Vide domine afflictionē meam, quoniam erectus eſt inimicus.

י Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſyderabilia eius: quia vidit gētes ingreſſas ſanctuariū ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in eccleſiam tuam.

EX CALD.

ruſalem, idcirco inſtabilis facta eſt: omnes populi, qui illam honore anteà affecerāt, pro conſuetudine habuerunt illam vilem dicere, quòd vidiſſent illius excidium: profectò ipſa gemebunda facta eſt, & conuertit ſe [k] retro.

Sordes [l] ſanguinis menſtrui illius in fimbria eius, nō purgauit ſe ab illa, neque cōſyderauit peccatū ſuum: non etiam animaduertit ea, quæ ventura erant contra illam in fine [m] dierum, nam deſcendit, ac corruit, non ſine admirationibus, neq; fuit, qui conſolaretur illam: vide domine, & reſpice, contemplans quòd extulerit ſe ſuper me hoſtis.

Manum ſuam extendit Nebucadnetſar impius, & educens gladiū ſuccidit elegantia quæque illius. Cœpit autem (tunc) vlulare Synagoga Iſraëlis, quādo vidit populos barbaros aſcēdiſſe domum Sanctuarij illius, cùm præceptum eſſet à Moſe propheta de Ammonitis, & Moabitis, ne ſinerent, vt ingrederentur in congregationem tuam (domine). Deut. 23. a.

Omnis

EX CALD.

*Omnis populus ipſius Ieruſalem ſuſpirans præ fame, & quærens panem vt comederet, dedit deſyderabilia ſua pro nutrimento panis, ad conſeruandam * animam: vide domine, & contemplans reſpice, quòd fuerim * edax.*

Expoſco à vobis omnibus qui præteritis viam, vt huc diuertatis. Contemplamini, & videte, ſi ſit dolor, ſicut dolor meus, quo affecta ſum ego: nam diſturbauit me dominus, in die excandeſcentiæ iræ ſuæ.

*De cœlis miſit ignem in * caſtella mea fortiora, & ſubegit illa, expandit retia pedibus meis, vt obuerterem ceruicem fecit hoſtis, dedit me, vt ſim vaſtata, omni tẽpore abiecta & eneruis.*

Aggrauatum eſt iugum præuaricationũ mearum in manu eius, inuolutæ ſunt tãquàm frondes vitis, aſcenderũt ſuper collum meum, cor-

VET. AED.

כ Omnis populus eius gemens, & quærens panem, dederunt præcioſa quæque pro cibo ad refocillandũ animam. Vide domine, & conſydera, quoniam facta ſum vilis.

ל O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus, quoniam vindemiauit me, vt loquutus eſt dominus in die iræ furoris ſui.

מ De excelſo miſit ignem in oſsibus meis, & erudiuit me: expãdit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum: poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam.

נ Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius cõuolutæ ſũt, & impoſitæ collo meo: infirmata eſt virtus mea:

dedit

VET. AED. | EX CALD.

dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere.

ruit robur meũ, tradidit me dominus in manus, è quibus non poſſum ego ſurgere.

ס Abſtulit omnes magnificos meos dominus de medio mei: vocauit aduerſum me tẽpus, vt contereret electos meos: torcular calcauit dominus virgini filiæ Iuda.

Congregauit omnes fortes meos dominus in medio mei, aduenit ſtatutum tempus cõtra me, ad conterẽdum exercitum meorũ iuuenum bellatorum: ſiquidem aſcenderunt populi iuxta verbi domini decretum, & ſtuprum intulerunt virginibus domus Iudæ, quarũ ſanguis perinde effuſus eſt, atque diffluit muſtum ex torculari: quando enim conculcãdo comprimit aliquis vuas, ſolent illæ muſtum emittere.

ע Idcirco ego plorãs, & oculus meus deducẽs aquas, quia longè factus eſt à me conſolator conuertens animam meam: facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

Propter infantes qui alliſi ſunt, & propter grauidàs mulieres, quarũ vteri aperti fuerunt, dixit Synagôga Iſraëlis, ploro ego: ambo quoq; oculi mei lachrymas effundũt inſtar fontis aquarum, quòd elongatus fuerit à me conſolator, qui dulciter[1] conſolando animam meam conſeruabat me: deſolati ſunt filij mei, quoniam ſuperauit illos hoſtis capitalis.

פ Expandit Sion manus ſuas, nõ eſt qui conſoletur eã: mandauit dominus aduerſum Iacob,

Expandit Tſiion manus ſuas præ anguſtiis, quẽadmodum expandere ſolet illas mulier propter partum

EX CALD. VET. AED.

clamans,& non eſt,ͬ qui conſoletur eam: ſanxerat dominus Iacobæis præcepta, & legem, quam obſeruarent, ipſi verò mandatum diuinum transgreſſi ſunt: quamobrem circūdati fuerunt Iacobæi vndique hoſtibus ſuis,& facta eſt Ieruſalem ſimilis mulieri mēſtruo inquinata inter illos.

in circuitu eius hoſtes eius, facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.

Oraculo ſ ediderat dominus populo domus Iſraël ne ͭ exercitum colligeret, venit tamen Ioſias Rex præliū cōmittēs cū Paraone claudo in cāpo Megiddo, quē, eò ꝙ non mādatum illi fuerat,& non conſuluërat diuinū oraculum, iaculatores tandem ſagittis impetentes adeò vulnerarunt, vt ſemimortuus Rex, labia vix mouens dixerit, iuſtus dominus, quoniam verbum illius tranſgreſſus ſum. Audite nunc omnes populi lamentum, quo lamentatus eſt Ieremias propter Ioſiam, & videte dolorem meum, qui accidit mihi: poſt mortem illius virgines meæ & ingenui iuuenes mei abierunt in exilium.

2.Paral.35.d.

צ Iuſtus eſt dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obſecro vniuerſi populi, & videte dolorē meum: virgines meę & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

Dixit Ieruſalē, poſtquam tradita fuit in manus Nebucadnetſar, *vocaui amatores meos ex populis quibuſcum fœdus pepigeram, vt mihi opem ferrent, ſed ipſi fefellerunt me. Conuerſi ſunt*

Eſaiæ 30. & Ierem.37.

ק Vocaui amicos meos, ipſi deceperūt me: ſacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt, quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarēt animam ſuam.

(etiam)

(etiam) ad interemptionem meam ipſi Romani, qui venerunt cum Tito & Veſpaſiano impio, & applicuerunt chalybea tormenta bellica contra Ieruſalem. Sacerdotes mei & ſenes mei, in medio ciuitatis expirarunt, cùm quærerent pro cibo, panis nutricationem, vt ſuam conſeruarent animam.

ר Vide domine quoniam tribulor, cōturbatus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum: deforis interficit gladius: & domi mors ſimilis eſt.

Intuere domine, quoniam ita perturbauit me (hoſtis) vt cōcitata ſint viſcera mea, ſubuerſum ſit cor[v] meum intra me. Quoniam tranſgrediendo tranſgreſſa ſum decretum verbi domini, propterea certè tantundem extra fuit vaſtationis gladij, & intus terroris famis, quaſi nūtius interitus, cui deſtinati eſſent ad mortem (adeſſet.)

ט Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui cōſoletur me: omnes inimici mei audierūt malum meum, lætati ſunt, quoniā tu feciſti: adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei.

Intellexerunt exteri me gemebundam eſſe, & non eſt qui conſoletur me. Omnes hoſtes mei audierūt malum, quod accidit mihi, lætati ſunt,* quòd tu ille ſis domine, qui feceris: venire feciſti contra me diem vltionis, conuocaſti contra me multitudinem [ʾ] ad perdēdum me: ita quoque conuoces contra illos, vt perdantur ipſi, quemadmodum ego.*

ת Ingrediatur omne malum eorū coram te, & vindemia eos, ſicut

Veniat in die magni iudicij omne[z] malum illorum, quo affecerunt me, coram te,

EX CALD.	VET. AED.
a & animaduertas in illos, b quemadmodũ propter multa grauiſsima ſcelera mea animaduertiſti in me, quandoquidem (adeò) auxerunt gemitus meos, vt cor meum euanidum ſit.	vindemiaſti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemit⁹ mei, & cor meum mœrens.

In caput primum paraphraſis Scholia.

a Caldaïcè. quemadmodum mitigaſti menſuram iudicij, ita vt dixeris, &c.

b Mulierem Euam videtur intellexiſſe, quia Caldaïcũ relatiuum eſt fœmininum.

c Qui enim ſaucij, vel ægroti ſunt, in domus ſecretioribus partibus reponi ſolent, ne tumultum aliquem ſtrepitúmve audiant. Similem autem viduæ dixit ciuitatem Ieroſolymam, hoc eſt abſentia ciuium taciturnam ad tempus 70. annorum, ſed non omnino viduam: nam vt ab ipſo Ieremia prædictum fuerat cap. 29. oportebat, ſicuti factum eſt, Iudaïcum populum ex Caldaïco exilio reuerti, & vrbem Ieruſalem, templúmque inſtaurari poſt annum exilij 70. intra quod tempus Ieroſolyma ciuitas quondam florentiſsima, celeberrima & potentiſsima, veluti vidua, quę marito demortuo, non habet quo cũ familiariter loquatur, domi taciturna ſeſe cõtinet, ſuis orbata ciuibus, qui vilia mãcipia Babyloni erãt, ruinoſa & bellicis turpiſsimis incẽdiis deformata, cõcionibus, cõcurſibus populi, ludis, ſaltationibus, tripudiis, cãtoribus & muſicis inſtrumentis prorſus caruit: ſimilem viduæ quoque eam dixit vates alludens ad captiuitatem in qua Iudaïca Synagôga cum ſuis aſſectatoribus conſtituta eſt à temporibus exilij, in quod acta eſt à Romanis, quandoquidem datur illi in dies ſpes veniæ, ſi reſipiſcere velit ipſa cum ſuis aſſeclis, & ad eum conuerti dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui vera ſalus mundi eſt: non enim impij mortem vult deus, ſed magis vt à corruptis moribus ſuis cõuertatur & viuat. Eze. 33. Cũ enim ille opt. max. ſit, vult homines omnes ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem peruenire. 1. Timoth. 2. Dictio Hebraica porrò אַלְמָנָה Almana, quæ viduam ſignificat, ab אָלַם Alam quod tacere ſignificat deriuatur, & optimè eſt nomen illud ſic viduæ impoſitum ab Hebræis.

d Q.d.

d Q. d. Non defuerunt illis prophetę,qui eos commonefacerent,vt 2.Paralip.35.c.ſcriptum eſt.

e Quomodo idôla nihil ſint,nihílque prorſus iuuet,ſed valde noceat illorũ cultus,lege egregium cap.44. Eſaïæ, vbi hortatur ille populum à defectione idololatriæ.

f 4.Reg.24.& 25.ſcriptum eſt,pauperes non actos fuiſſe in exilium, ſed relictos fuiſſe in terra Iehudę.

g Q. d. Tanta fuit illius clades,vt etiam infantes eius,quibus parcendum erat,acti fuerint in exilium, vt deinde vilia fierent mancipia.

h Caldaïcè.Dierum antiquorum quibus ei erat habitatio in munitionibus,fortibúſque arcibus.

i Metonymicôs loquitur.

k Q.d.Non ſine magna animi ægritudine dicebat vale patriæ finibus,quos retro derelinquebat Ieroſolymitanus ciuis.Eſt autem Metonymia figura,qua ciuitas ipſa pro ciuibus ſuis accipitur ſæpenumero.

l Oſtendit audacẽ peccandi Iehudæorum impudentiam,ducta metaphora ab impudente muliere menſtruo ſanguine infecta, quæ in fimbriis veſtis ſuæ illum circunferre publicè non veretur.

m Id eſt.Tandem.Poſtquã enim lento gradu diuina proceſsiſſet ira, pœnas ſui ſceleris luit Ieruſalem magna mortalium admiratione.

n Anima pro vita ſæpe etiam in Hebræo ſumitur.

o Q.d. Quòd aliàs optimè curauerim cuticulam,nunc autem anguſtiis & doloribus preſſa,in ſumma inopia & egeſtate viuo.

p Vbi Heb.cõtextus habet hîc oſſa,Caldæus interpres caſtella vertit: nam quemadmodum oſſa ſunt fulcra & fundamenta quædam ad vniuerſam ſubſtantiam corporis ſuſtentandam,ita quoque ſingulis regionibus arces,caſtella,præſidia & propugnacula idem præſtant.

q Cald.Qui conſeruabat me & loquebatur conſolationes cum anima mea.

r Cald.Et non eſt qui loquatur conſolationes ſuper cor illius.

s Q.d. Commonefecerat dominus per Paraonem Necho regem Aegypti(qui miſſus à domino erat contra Aſſyriorum regem) Ioſiam regem,ne arma contra illum ſumeret: cui credere nolens Ioſias, collecto exercitu occiſus fuit à Paraonis iaculatoribus.2.Paral.35.d.

t Cald.Ne traduceret gladio percutientes per terram ſuam.

v Quaſi dicat.Vt deſtiterit nimia ægritudine ſuo fungi munere cor meum. Oſtendit enim his verbis magnã ægrimoniam,qua affecta erat Ieruſalem:nam cor caloris natiui, quo animal regitur, quaſi fons quidam ac domicilium eſt.Galen.de Vſu partium,lib.6.cap.7.Eſt autem Proſopopœia figura,qua ſenſum tribuit vates rei inanimatę frequẽter.

x Q.d.Lætati ſunt,quando viderũt, quòd vbi deſtitiſti tuo nos fauore proſequi (cùm tantiſper dum noſtras tuereris partes, non poſſent) nos debellauerint.

y Id eſt.Hoſtium numeroſum exercitum.

z Sancti quando mala imprecantur, hoc in bonum finem faciunt, vt videlicet reſipiſcant flagitioſi homines ſaltem calamitoſo, miſero & luctuoſo tempore,ſi fauſto,proſpero & fœlici noluerint.Ieruſalem enim tantiſper dũ floruit, rebellis & perfida ſępe domino Deo erat, ſed vbi ſe calamitatis pondere preſſam ob luctificã cladem ſuam vidit, culpam ſuam faſſa eſt,rogátque hoc loco & aliàs, vt pertinaces in ſuis ſceleribus ſuo exemplo, atroci & tribulationis tempore ſaltẽ, Deo opt. maximo gloriam & honorem perhibeant, ac reddant ſuum: neque hoſtes ſuam victoriam,qua abutebantur,idôlis aut viribus ſuis tribuant,ſicuti faciebat Nebucadnetſar Caldæorũ rex, Habacuc 1. Ille enim ob ſuam inſolentiam & iactationem poſtquàm mente captus ſeptem annos ferino ritu vixiſſet, reſipuit, & poſt afflictionem illam dominum Deum confeſſus eſt,Danielis 4.Si proculdubio ita huiuſmodi locos nõ intelligeremus, reclamaret ſcriptura, quæ vult inimicos diligi, eis benefaciendum,atque orandum pro ipſis eſſe, Exod.23.Prouerb.25.Matth.5. Luc.6.quod Chriſtus dominus & Stephanus fecerũt,Luc.23.& Act.7.

a Supple, ſi interim non reſipiſcant,ſed perſiſtant in maleficiis ſuis.

b Cald. Quemadmodum ſuper omni multitudine præuaricationis meæ.

Cap. II.

EX CALD.

QVomodo cõtriuit dominus in furore iræ ſuæ Synagôgã ipſius Tſion! deiecit è [a] cœlo in terram gloriam Iſraëlis, vt nõ recordatus fuerit domus Sanctuarij, quæ [b] ſcabellum pedum illius erat, nec illius miſertus fuerit in die furoris iræ ſuæ.

x VET. AED.

QVomodo obtexit caligine in furore ſuo dominus filiã Sion, proiecit de cœlo in terrã inclytam Iſraël, & nõ eſt recordatus ſcabelli pedũ ſuorũ in die furoris ſui.

·Præcipitauit

VET. AED. — *EX CALD.*

ב Præcipitauit dominus, nec pepercit omnia ſpecioſa Iacob: deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum, & principes eius.

Succidit dominus, nec pepercit omni ornamento Iacobæorum, deſtruxit in excandeſcẽtia ſua, munitiones Synagogæ domus Iehudæ, ſolóque æquauit: profanauit regnum, quòd trucidarit[e] *principes eius.*

ג Confregit in ira furoris omne cornu Iſraël: auertit retrorſum dexteram ſuã à facie inimici: & ſuccẽdit in Iacob quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro.

Confregit in furore iræ omne precioſum ipſius Iſraëlis, retraxit dexterã ſuã, & non auxiliatus eſt populo ſuo contra capitalẽ hoſtem, quin exarſit in domum Iacobi tãquam ignis, qui inflãmatus conſumit circumcirca.

ד Tetẽdit arcum ſuum quaſi inimicus, firmauit dexterã ſuã quaſi hoſtis, & occidit omne quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quaſi ignem indignationem ſuam.

Tetendit arcum ſuum, & direxit contra me ſagittas, [d] *tãquam capitalis hoſtis ſtetit à dextera ipſius Nebucadnetſaris, & auxiliatus eſt illi, perinde ac ſi hoſtis fuerit ſui populi Iſraëlitici: perdidit enim omnes adoleſcẽtes, & quæcũque oculo expetibilia erant in tabernaculo Synagôgæ Tſiionis: effudit (quaſi) cum lampade ignem iræ ſuæ.*

ה Factus eſt dominus velut inimicus: præcipitauit Iſraël, præcipitauit

Hoſti capitali ſimilis factus eſt dominus, perdidit Iſraëlitas, perdidit omnia

EX CALD.	VET. AED.

palatia eorum, euertítq; omnes vrbes præſidij ipſorum: auxit quoque Synagogæ domus Iehudæ mœrorem & triſtitiam.

omnia mœnia eius, diſſipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.

Nam eradicauit tanquā hortum domum ſanctuarij ſui, deſtruxit locum deſtinatum ad expiationem populi ſui: virorum Dei in in Tſiione gaudium (nempe) dies ſolennes, & ſabbatum:
4 Re.25.b.d. *trāſtulit etiam in furore iræ ſuæ regem, & [e] ſacerdotem magnum.*

ו Et diſsipauit quaſi hortum tētorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum, obliuioni tradidit dominus in Sion feſtiuitatem & ſabbatum: & in opprobrium & in indignationem furoris ſui regem & ſacerdotem.

Oblitus eſt dominus altaris ſui, apertè contempſit ſanctuarium ſuum, tradidit ipſi hoſti capitali muros palatiorum, vocem [f] ediderunt in domo ſanctuarij domini, ſimilem voci populi domus Iſraëlis orantis in medio illius, in die Paſchatis.

ז Repulit dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manus inimici muros turrium eius, vocem dederunt in domo domini, ſicut in die ſolenni.

Conſtituit dominus ſolo æquare murum Synagogæ Tſiionis, extendit [g] perpēdiculum ſuum, & non retraxit manum ſuam à deſtructione: itáque fleuit [h] ante-

ח Cogitauit dominus diſsipare murū filiæ Siō: tetendit funiculum ſuū, & non auertit manum ſuam à perditione: luxítque antemurale, & murus

VET. AED. | EX CALD.

rus pariter diſsipatus eſt. *murale, & murus, vnà (enim) euerſa fuerunt.*

ט Defixæ ſunt in terram portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius, regem eius, & principes eius in gentibus: non eſt lex, & prophetæ eius nō inuenerunt viſionem à domino.

Deiecerunt in terrā portas eius, propterea immolarunt[i] *porcum, & effuderunt ex ſanguine illius ſuper illos: diſperdidit, & perfregit limina eius:* [k] *Rex eius & principes eius iam exularāt inter gentes, eò ꝙ non cuſtodiuiſſent verba legis, neque paruiſſent illi, ſicut in monte Sinai: prophetis eius etiam ablatus fuerat ſpiritus prophetiæ ſanctæ, non enim commiſſum erat illis verbum prophetiæ à domino.*

י Sederunt in terra, cōticuerūt ſenes filiæ Sion, conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis, abiecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem.

Sederunt in terra taciturni ſenes congregationis Tſionis, ſuperpoſuerūt cinerem ex incendio capitibus ſuis, pro ima tunica ſaccis vſi ſunt: depoſuerunt vſque ad cinerē terræ capita ſua[l] *virgines Ieruſalem.*

כ Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritionē filiæ populi mei: cùm deficeret paruulus & la-

Deficiebant præ lachrymis oculi mei, cōcitata erant præcordia mea, effundebatur in terram iecur[m] *meum, propter afflictionem congregationis populi mei, quum ſiti perirent paruuli, & lactentes*

EX CALD.	VET. AED.
ctentes in plateis ciuitatis.	ctens in plateis oppidi.
Matribus ſuis dicebant infantes Iſraëlis, vbi eſt frumentum & vinum? quum elanguerẽt, veluti gladio cõfoſſus, præ [n] inedia in plateis ciuitatis, cúmque effunderetur anima ipſorum præ fame, in medium ſinum matrum ſuarum.	ל Matribus ſuis dixerunt, vbi eſt triticum, & vinum? quum deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis: quum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.
Qua in re iuuabo te? quid aſsimilabo tibi, congregatio Ieroſolymitana? Cui æquabo te, vt ſolatio aliquo luctum tuum abſtergam, virgo congregationis Tſiionis? Quoniam tanta eſt afflictio tua, quantus eſt æſtus fluctuum magni maris, quando procellis agitatur, quis (quæſo) ille erit [o] medicus, qui medebitur malo tuo?	מ Cui comparabo te? vel cui aſsimilabo te filia Ieruſalem? cui adæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion? Magna eſt enim velut mare, contritio tua: quis medebitur tui?
Pſeudoprophetæ, qui apud te erant, vaticinati ſunt tibi falſum, nulliúſque momenti fuerunt prophetiæ illorum, quandoquidem non prædicarunt vltionem, quæ ventura erat ſuper te propter ſcelus tuum, vt reducerent te ad pœnitentiam: ſed perperàm prædixerunt tibi prophetiam & verba erronea.	נ Prophetæ tui viderũt tibi falſa & ſtulta: nec aperiebãt iniquitatẽ tuã, vt te ad pœnitẽtiam prouocarent: viderũt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones.
[t] Cõploſerunt manus ſuas	ס Plauſerunt ſuper te manibus

VET. AED. | *EX CALD.*

manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam Ieruſalē. Heccine eſt vrbs, dicētes, perfecti decoris, gaudium vniuerſę terrę?

propter te omnes prætereuntes viam, ſibilauerunt labiis ſuis, & mouerunt capita ſua propter ſynagôgam Ieruſalem, dicendo dedita opera, illa iſta eſt ciuitas, de qua dixerunt maiores noſtri antiquitùs, ꝙ ipſa eſſet conſummatio pulchritudinis & decoris, gaudium omnium habitatorum terræ.

a Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerūt, Deuorabimus: en iſta eſt dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.

Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes hoſtes tui, ſibilauerunt labiis ſuis, & fremuerunt dentibus dicentes, perdidimus: ꝓculdubio hæc eſt dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus.

y Fecit dominus quæ cogitauit, compleuit ſermonem ſuum, quē præceperat à diebus antiquis. Deſtruxit, & nō pepercit, & lætificauit ſuper te inimicum, & exaltauit cornu hoſtiū tuorum.

Fecit dominus quod cogitauerat,[q] impleuit verbū ſuum, quod præceperat per Moſem prophetam à diebus antiquis, nempe ſi non ſeruarent filij Iſraëlis mādata domini, futurum vt de illis pœnas ſumeret: deſtruxit, & ſeueritatis ſuæ exemplū edidit. [r] *Exhilarauit ſuper te capitalem hoſtem, ꝙ inimicos tuos honorabiles reddiderit.* Leui. 26. b. & Deute. 28. b.

x Clamauit cor eorum

Clamauit cor illorum co

EX CALD. VET. AED.

ram domino, qui [ſ] *dilexerat (aliquando) propter illos elegantem murũ Tſiionis, ſtilla inſtar torrẽtis lachrymas die ac nocte, ne faciendo ceſſare orationem tuam, quæras* [t] *remedia angoribus tuis, neque flere deſinat oculus tuus.*

ad dominum ſuper muros filiæ Siõ. Deduc quaſi torrentem lachrymas, per diem & noctẽ non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

Surge Synagôga Iſraëlis, quæ ſeruis [v] *ſeruitutẽ, da operam* [x] *cæremoniis legis in nocte, quoniam remanet coram te diuina maieſtas, verbis etiam legis in ortu auroræ: effunde ſicut aquam peruerſitatem cordis tui: illúdque ad pœnitẽtiam reducito: ora etiã in eccleſia contra iram Dei, leua ad illum ſupplex manus tuas propter animam paruulorum tuorum, qui fame defecerunt in capite omnium platearum.*

ק Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarũ effunde ſicut aquã cor tuũ ante cõſpectum domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorũ, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

Vide domine, & reſpice de cœlis contemplans, quem ſic dolore affici voluiſti: an vidit (aliquis) filias Iſraëlis comedere fructus vterorum ſuorum, paruulos ſuas delicias, qui adhuc pannis inuoluti erant? ipſius enim (domini) ſermo qui talis eſt, iudicij pondus aggrauauit: perpende an occidendus eſt in domo ſanctuarij ſacerdos, & propheta,

ר Vide domine & cõſydera, quem vindemiaueris ita. Ergò ne comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſurã palmæ, ſi occiditur in ſanctuario domini ſacerdos & propheta?

VET. AED. EX CALD.

propheta, quemadmodum interfecerũt Zachariam filium Iddo⁾ ſacerdotis magni & prophetæ fidelis in domo ſanctuarij in die expiationum, eò ꝙ redarguiſſet illos, ne facerent malum coram domino?

ט Iacuerunt in terra foris puer & ſenex: virgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfeciſti in die furoris tui: percuſsiſti, nec miſertus es.

Iacuerũt in terra per plateas ᶻ paruuli, & ſenes qui cubare ſolebant ſuper turgidos & eminentes puluinos, ſuperque eburneos lectos: virgines meæ, & iuuenes mei gladio corruerunt, occidiſti in die iræ tuæ, mactaſti, & non miſertus es.

ת Vocaſti quaſi ad diẽ ſolennem, qui terrerent me de circuitu, & nõ fuit ĩ die furoris domini qui effugeret, & relinqueretur: quos educaui & enutriui, inimicus meus cõſumpſit eos.

Da libertatẽ populo tuo Iſraëlitico per ª Meſiam, ſicut feciſti per Moſem, & Aharonem in die paſchatis: Exod.12.d. *quoniã collecti fuerunt pueri mei vndique, vbicunque diſperſi eſſent in die furoris iræ tuæ domine: profectò nullum fuit effugium, nullæq; reliquiæ ſunt eorum, quos pannis inuolueram: etiam quos enutrieueram in regum deliciis, hoſtes mei capitales perdiderunt illos.*

In caput 2. paraphraſis Scholia.

a Q.d. Ab alto dignitatis, & honoris gradu dimouit Iſraëlem.

b Eſaïæ 6. a. ſecundum Hebræum eſt. Et fimbriæ eius replebant templum. Pſalmo quoque 98. Exaltate dominum Deum noſtrum, & adorate in ſcabello pedum eius. i. in templo ante arcam fœderis.

c Ieremiæ 52. b. & 39. b. ſcriptum eſt, Tſedechiæ regis filios, & princi-

pes,coram ipſo,iuſſu regis Nebucadnetſaris iugulatos fuiſſe,illúmque excæcatum duabus catenis vinctum perductum fuiſſe Babylonem ,vbi coniectus fuit in carcerem.

d Nõ dixit:capitalis hoſtis ſtetit à dextera ipſius Nebucadnetſaris,&c. ſed dixit tanquam capitalis hoſtis ſtetit, &c. Nam dominus Deus cùm totus bonus & totus ſanctus ſit,& homines omnes velit ſeruari,nõ niſi noſtra culpa nobis fit quaſi hoſtis,cùm in nobis ſitum ſit, ſi nos peccaſſe pœnituerit, & ingemuerimus ex animo, vt illũ nobis faciamus propitium : quod Ieroſolymitani rebus ſuis adhuc integris perſiſtentes in maleficiis ſuis nõn fecerunt,& propterea de illis contumacibus ſupplicium ſumptum eſt.Vide annotationem in verſum 1.cap.1.vbi Ieroſolymam non viduam,ſed viduæ ſimilẽ vocauit:modus porrò iſte loquendi familiaris eſt ſcripturę,eáque tanta ſpe veniæ nobis conſolatio adhibetur,quoniã faciliùs multò eum,qui quaſi hoſtis eſt, placamus, quàm ipſum hoſtem verum & apertum.

e Hiſtoriam attingit,qua poſt Tſedeciam regem , captus etiam fuit Seraïa ſacerdos magnus cum ſuo vicario, à Nebuzardano præfecto militum Nebucadnetſaris regis Babylonici,4.Reg.25.d.

f Id eſt, Profani & barbari milites victores, in contemptum Iudęorum ingreſsi templum Dei,vocem eorum pſallẽtium & orantium diebus ſolennibus expreſſerunt.

g Hoc eſt,Magno adhibito iudicio illos puniuit: loquitur autem de Deo ſæpenumero ſcriptura more humano.

h Q.d.Antemurale,& murus dirutus antea tutiſsimus,multos ad luctum excitauit. Vel eſt Proſopopœia,id eſt, perſonæ fictio,qua ad maiorem commiſerationem tribuit ſenſum rei inanimatæ.

i Cùm omnis porci vſus , Leuit. 11. Iehudæis eſſet prohibitus, ꝙ immundum eſſet animal porcus,vt 1.Machabæorum 1.ſcriptum eſt , non ſolùm fiebant ſacrificia ex carnibus ſuillis,verumetiam cogebantur vel mori,vel veſci immundis carnibus Iehudęi.Vide etiam ſecundum Machabęorum 6.& 7.ca.Porrò fieri poterat, vt in deriſum Iehudæorum, Iehudęi ipſi à barbaris militibus Caldæis vel Romanis,vi vrbẽ & templum ingreſsis ſanguine porcorum cõſpergerentur, quòd fortè ſcirent ſanguinis, vel olei & ſanguinis conſperſione, in holocauſtis Moſem vſum fuiſſe in Sinaï,Exod.14.b.& Leuit.8.

k Hiſtoriam attingit quæ eſt 4.Reg. 24. qua conſtat Iehoiacin regem,qui Ieremiæ 29.& aliàs in ſcriptura, Ieconiа appellatur, vnà cum matre , principibus & ſtrenuis omnibus actum fuiſſe Babylonem in exilium , antequàm ſubuerteretur Ieruſalem . Non enim refertur hic locus ad Tſedeciam regem,vt nonnulli putauerunt, quoniam,vt Iere-

miæ

miæ 39.& 52.legitur,filij & principes Tſedeciæ regis non exilio affecti fuerunt, ſed trucidati fuerunt coram eo Babylonici regis iuſſu. Cæterùm ne quis erret, conſonantes literæ tot & eædem ſunt in nomine יְהוֹיָכִין Iehoiacin,quot & in nomine יְכָנְיָה Ieconia,ſed facta eſt illarum tranſpoſitio. Vltima porrò huius verſus pars refertur ad pſeudoprophetas,qui impingere fecerant Iudaïcum populum, & tantæ labis ac cladis cauſa tandem fuerant ſuis vanis prophetiis.

l Quæ(ſi dictionem בְּתוּלְתָא liceat comprehendi in dictione בְּנַת) florente Iehudæorum regno,ſuperbè,extẽto collo, nutibus oculorum, & plaudendo incedebant,vt Eſaïas 3.cap.teſtatur.

m Q.d. Tanto dolore & triſtitia propter tantam meorum cladem & labem afficiebar, vt ita prope exangue videretur corpus meũ, atque ſi hepar meum,quod eſt officina ſanguinis,deſinẽs ſuo officio fungi,ſanguinem in terram effunderet: hoc enim valde affligere debet eum, qui videt ſuæ ciuitatis matronas defectu alimenti non habẽtes lac in mammis ſuis,quo lactentes nutriant,aut ex brutis, quo pappam faciant paruulis,qui ſolido cibo adhuc vti non poſſunt.

n Supple,Bello Ieroſolymitanis obſeſsis, in hoc vlcere tanquam vnguis exiſtente.

o Q.d.Nullus,præter dominum,à quo magno tuo malo defeciſti, ſi ad illum cum fide & pœnitentia redeas.

p Geſtum exprimit hominis attoniti & abſterriti, quando videt ille caſum & ruinam aliquam grauem, deformem & flebilem. Per habitatores porrò terræ, Iſraëlitas ipſos intellige, qui florente Ieroſolyma valde gloriabantur in illa, ac ſuperbiebant. Cæterùm tria prima verba huius verſus,quæ præteriti ſunt temporis, pro præſenti Indic. vſurpantur, nempe comploſerunt,pro complodunt,ſibilauerunt pro ſibilãt,& mouerunt,pro mouent: quandoquidem Caldæis & Hebræis verbum præſentis temporis Indic.aut Optat.aut Subiunct.modi nõ eſt, ſed ſæpenumero vſurpant præteritum pro eo.

q Cald.Conſummauit verbum oris ſui.

r Q.d.Anſam,& occaſionem præbuit hoſti tuo lætandi,quòd triumpharit ille de te.

ſ Non enim loci gratia gentem,ſed gentis gratia locum elegerat dominus,vt 2.Machabæorũ 5.c.ſcriptũ eſt.Patitur etiam Caldęa dictio, vt ita vertas verſum hunc. Clamauit cor illorũ coram domino, vt miſereretur eorum,O elegans mure Tſiionis ſtilla inſtar torrẽtis, &c. vt ſequitur in verſu. Quaſi dixerit: intẽto animo fuerũt ipſi ad dominum preſſi pondere calamitatis: eſt autem elegans Proſopopœia, ad maiorem commiſerationem,qua ſenſum tribuit rei inanimatæ, nempe muris &

ris & mœniis Ieroſolymitanis deſtructis, quæ antea benè turrita & munitiſsima fuerant. Eſt etiam Hyperbole, hoc eodem in verſu.

t Cald. Ne des conſolationem doloribus tuis.

v Cald. Habitans in captiuitate.

x Hoc ad ſeruitutem Babylonicam, quo tempore vigebat lex Moſis, referto, quanuis Caldæus paraphraſtes hoc ad cæremonias Talmuditas videatur, ex dictione בְּטֵנָה qua hîc vſus eſt, referre. Cęterùm conſulit hoc verſu vates, vt iam extorres Ieroſolymitani aſsiduitate orationis, vigiliis aſsiduis, præteritæ & anteactæ vitæ acerba mœrentíque recordatione dominum deum placent, ac ad miſericordiam flectant, liqueſcátq; illorum cor antea duriſsimum & veluti adamantinũ: quandoquidem Sacrificia Dei cordolium: cor cõfractum & contritũ Deus non deſpicies, Pſalm. 51. Propter parentum enim ſuorum culpam, & lutulenta vitia in quibus omnino pertinaces fuerant, infantes & paruuli, qui in nihilo offenderant, necati fuerant fame, ob longuam vrbis obſidionē, quę res valde eſt crimini Ieroſolymitanis, valdéq; miſerationem commouet. Vbi autem in hoc verſu legitur: ora etiam in eccleſia contra iram Dei: legere etiam potes: ora etiam in eccleſia in cõſpectu Dei. Vtranque verſionem enim patitur Cald. dictio.

y Vt ex 4. Reg. 11. & 12. colligere licet, Iehoiada, quem hîc Iddo vocat Caldæus paraphraſtes, Iehudæorum ſummus fuit põtifex. Ille Matthæi 23. d. Barachias appellatur. Pro quo in Euangelio quo Nazareni vtebantur, vt in cap. Matth. 23. D. Hieronymus annotauit, Iehoiada legitur. Vtebantur porro Nazareni illi contextu Matthæi Hebraïco, & illum Græco ſermone donauit Hieronymus, vt ipſe teſtatur in cap. Matth. 12. Pater autē illi' fuit Zachariæ, qui vt 2. Paralip. 24. f. ſcriptum eſt, lapidibus obrutus fuit in atrio ædis domini. Non enim, cùm ſit habenda ratio temporis, eſſe potuit Zacharias ille, cuius hodie extat prophetia, nam ille qui ſub Ioa rege paſſus eſt, longè ante templi primi deſtructionem occiſus fuit: ille verò cuius habemus prophetiam, poſt deſtructum primum templũ, redux ab exilio Babylonico, adhortatus eſt cum Aggæo propheta populum ad templi reædificationem: vt 1. Eſr. 5. a. & Zachariæ 1. a. ſcriptum eſt. Neque ex ſcriptura liquet, quomodo ille mortuus fuerit. Ad hæc reclamarēt antiquorum Hebræorũ commentarij & traditiones, in quibus, ſi qua illis habenda eſt fides, aſſeuerant vſque ad aduentum Nebuzardani regis Babylonici militum præfecti, ſanguinem Zachariæ inſtar ollæ aqua plenæ igne ſuppoſito efferbuiſſe: quem cùm animaduertiſſet Nebuzardanus, iã facta ab illo magna ſanguinis Iehudæorum effuſione, à ſenioribus, qui aderant, tandē tormentis propoſitis vt faterentur, quid hoc eſſet, extorſit (dicebant enim

enim anteà, ſuorum nolentes fateri ſcelus, ſanguinem eſſe ſacrificiorum, quod falſum, ex diſsimilitudine, quę erat illius ſanguinis cum ſanguine ſacrificiorum, omnino comprobatum eſt) ſanguinem eſſe Zachariæ prophetæ, quem miſerè, quòd illorum redargueret ſcelera, trucidarant. Quod vbi reſciuit Nebuzardanus, Senatorçs omnes magnæ Synagogæ quæ Ieroſolymis erat, illóſque Senatores, qui in qualibet Iehudæorum ciuitate erant, cum iuuenibus, virginibus & literatis omnibus, capite truncari iuſsit: neque ceſſauit ſanguis ille feruere, donec Nebuzardanum tæduerit occiſionis. De magna autem Ieroſolymitana Synagôga, ſiue de Ieroſolymitano ſupremo Senatu, aliíſque cæterarum vrbium Iudæorum minoribus ſubſelliis, vide Scholia in caput quintum. g.

z Hoc ad exilium Babylonicum referendum, quum noſter nondum veniſſet Chriſtus.

a Supple, confecti & necati fame, honore ſepulturæ carentes.

Cap. III.

VET. AED. א

EGo vir videns paupertatẽ meam in virga indignationis eius.

א Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

א Tãtum in me vertit, & conuertit manũ ſuam tota die.

ב Vetuſtã fecit pellem meam, & carnẽ meam, contriuit oſſa mea.

ב AEdificauit in gyro

EX CALD.

EGo vir, [a] *qui vidit afflictionem in virga caſtigationum in indignatione eius.*

Me [b] *accepit, & ire fecit in tenebras, & non in lucem.*

Profectò in me conuerſus eſt, conuoluit [c] *texturam ſuam tota die ſuper me.*

Senuit caro mea magis quã vlceroſis, & pellis mea, magis q̃ pellis vtris: [d] *cõtriuit oſſa mea.*

[e] *Extruxit contra me mu*

EX CALD.	VET. AED.
nitiones, & circundedit ciuitatem: eradicauit etiam [f] duces populorum & ſuccubuerunt.	meo, & circundedit me felle & labore.
In tenebroſum [g] carcerem collocauit me, ſicut mortuos, qui [h] priſcis ſeculis vixerũt.	ב In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.
Occluſit (foris fores) poſt me: vt non exeam de carcere, compedibus æneis aggrauauit pedes meos. (Ieremiæ 52.b)	ג Circũædificauit aduerſum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum.
At ſi clamem, & ſupplicem, [i] excluditur oratio mea.	ג Sed & cum clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.
Intercluſit marmoreis lapidibus politis aditũ meum, clauſæ fuerunt ſemitæ meæ.	ג Concluſit vias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit.
Vrſus inſidiãs factus eſt mihi, & leo abſconditus in latibulo.	ר Vrſus inſidiãs factus eſt mihi: Leo in abſconditis.
Vias [k] meas ſpinis obduxit, & ſcidit me, æquauit me vaſtitati.	ר Semitas meas ſubuertit, & confregit me, poſuit me deſolatum.
Tetendit arcũ ſuum, & propoſuit me tanquã ſcopum ſagittæ.	ר Tetendit arcũ ſuum, & poſuit me quaſi ſignũ ad ſagittam.
Miſit in renes meos ſagittas pharetræ ſuæ.	ה Miſit in renib' meis filias pharetræ ſuæ.
Fabula fui omnibus præ-	ה Factus ſum in deriſum

VET. AED.	*EX CALD.*
riſũ omni populo meo, cãticum eorum tota die.	*datoribus populi mei, cantauerunt ſuper me tota die.*
ה Repleuit me amaritudinibus, ĩebriauit me abſynthio.	*Satiauit me* [l] *felle colubrorũ, inebriauit me abſynthio.*
ו Et fregit ad numerũ dentes meos, cibauit me cinere.	*Contudit etiam lapillis dentes meos, depreſsit me in cinere.*
ו Et repulſa eſt à pace anima mea, oblitus ſum bonorum.	*Et depulit, ne peteret pacem, animam meam, oblitus ſum beneficentiæ.*
ו Et dixi, Periit finis meus, & ſpes mea à domino.	*Tunc dixi, periit robur meum, & bonum, quod expectabam ab ipſo domino.*
ז Recordare paupertatatis & tranſgreſsionis meæ, abſynthij & fellis.	[m] *Recordabor afflictionũ animæ meæ, & quàm duriter tracter ab hoſtibus meis, nam potũ dederunt mihi abſynthium, & fel colubrorum.*
ז Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.	*Recordãdo recordabitur, & orabit ſuper me anima mea, propter afflictionem.*
ז Hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo.	*Hanc conſolationem reuocabo ad mentem meam, propterea ſperabo.*
ח Miſericordiæ domini quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius.	*Bonitas domini (eſt) ꝙ non defecerint, quòd non imminutæ ſint miſerationes eius.*
ח Noui diluculo, mul	*Noua multa edit quoti-*

EX CALD.	VET. AED.
die miracula, magna eſt[u] *fides tua.*	ta eſt fides tua.
Pars mea dominus, dixit anima mea, propterea ſperabo in eum.	ח Pars mea dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.
Bonus dominus ſperantibus in redemptione eius, animæ, quæ ſcrutatur doctrinam illius.	ט Bonus eſt dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.
Bonum eſt ſperare & ſilere, donec veniat[p] *liberatio domini.*	ט Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.
Bonum eſt viro illi, ſi aſſueuerit anima eius ferre iugum[q] *mandatorum, à pueritia ſua.*	ט Bonum eſt viro cùm portauerit iugū ab adoleſcentia ſua.
Habitabit[r] *in ſolitudine, & ſilebit, ferétque, quæ accident, calamitates: adhæc*	י Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.

confugiet ad[s] *nomen domini, quando acciderit, vt propter peccatum aliquod graue à ſe commiſſum, hoc in mundo pœnas luat, donec miſerebitur illius, illúdque auferat ab eo, & eum hilari excipiat vultu in ſæculo vẽturo (dominus.)*

Ponet in puluerẽ os[t] *ſuũ, ſeq; proſternet coram domino ſuo, ſi fortè ſit ſpes.*	י Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.
Exhibebit percutienti illum genã, præ timore domini ſaturabitur[v] *opprobrio.*	י Dabit percutienti ſe maxillã, ſaturabitur opprobriis.

Quia

VET. AED. | ***EX CALD.***

כ Quia non repellet in ſempiternum dominus.

*Certè * opera ſua non deſeret dominus, in æternum tradendo illa in manum hoſtium ſuorum.*

כ Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.

Nā ſi initio affligat, poſteà tandem cōuertitur, & pro abūdātia bonitatis ſuæ proſequitur ſuo fauore iuſtos.

כ Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.

Siquidem propterea quòd non humiliat vir animam ſuam, neque deponit ſuperbiam cordis ſui, inter homines affligitur.

ל Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ.

Deprimere, conterere, ſub pedibus ſuis ſupprimere omnes vinctos terræ.

ל Vt declinaret iudicium viri in conſpectu vultus altiſsimi.

Labefactare etiam viri pauperis iudicium propter potentis præſentiam.

ל Vt peruerteret hominem in iudicio ſuo, dominus ignorauit.

Pauperem hominē etiam in cauſa ſua opprimere, fieri non poteſt, quin coram domino manifeſtetur.

מ Quis eſt iſte qui dixit vt fieret, domino non iubente?

Quis homo dixit, ꝙ ingruerit calamitas in mundum, niſi eò ꝙ fecerint (homines) quæ non præcipiuntur à domino?

מ Ex ore altiſsimi non egrediētur nec mala nec bona?

Nō egreditur ab ore Dei malum, niſi propter fallaces ſermones, & iniquitates, quibus plena eſt terra: quando tamen precantur, in mundo vt

EX CALD. VET. AED.

proſperè ſuccedat, ab ore[z] *ſanctitatis progreditur.*

Cur diuitias inuenit homo, quibus[a] *abutatur diebus vitæ ſuæ? Vir malus in ſcelere ſuo?*

ם Quid murmurauit homo viuẽs, vir pro peccatis ſuis?

Scrutemur,[b] *ac perueſtigemus vias noſtras, reuertamúrque per pœnitentiam ad dominum.*

נ Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad dominum.

Leuemus cor noſtrum ſyncerè, à manibus noſtris rapinam & iniuriam proiiciamus, & reuertamur ad dominum deum noſtrum, cuius maieſtas in cœlorum altitudine (habitat.)

נ Leuemus corda noſtra, cum manibus ad dominum in cœlos.

Nos rebelles fuimus, præuaricati ſumus, & ob id, ꝙ non coluerimus te, tu non pepercisti.

נ Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es.

Operuiſti nos ira, & nos exilio perſequutus es, trucidaſti ſine miſericordia.

ס Operuiſti in furore & percuſsiſti nos: occidiſti, nec peperciſti.

Operuiſti nubibus gloriæ tuæ cœlos, ne tranſeat ad te oratio noſtra.

ס Oppoſuiſti nubẽ tibi, ne tranſeat oratio.

Vagos & errabundos poſuiſti nos inter populos.

ס Eradicationẽ & abiectionem poſuiſti nos in medio populorum.

Aperuerunt contra nos os ſuum capitales omnes hoſtes

פ Aperuerũt ſuper nos os ſuum omnes inimici

VET. AED. | EX CALD.

ci noſtri. *noſtri, iniqua decreta contra nos decernentes.*

ב Formido & laqueus facta eſt nobis, vaticinatio & contritio. *Terror & timor inuaſit nos, ex illis (inquam decretis) tremor & ærũna (nobis.)*

ב Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei. *Inſtar riuulorũ aquarum excuſſit oculus meus lachrymas, propter cõtritionem cõgregationis populi mei.*

ע Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, eò ꝙ non eſſet requies. *Oculus meus inſtillat lachrymas, neque flere deſinet, eò quòd non ceſſet tribulatio mea, neque ſit, qui [b] me conſoletur.*

ע Donec reſpiceret & videret dominus de cœlis. *Donec de cœlis contempletur, & videat dominus calamitatem meam.*

ע Oculus meus deprędatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. *Moleſtus adeò fuit fletus oculi mei, vt noceat animæ meæ, propter deſolationem prouinciarum populi mei, & deturpationem filiarum Ieruſalem vrbis meæ.*

צ Venatione ceperunt me quaſi auem inimici mei gratis. *Inſtructis inſidiis [c] aucupati ſunt me tanquàm auem inimici mei, ſine cauſa.*

צ Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. *Detruſerunt in foueam vitam meam, & iecerunt [d] lapidem in me.*

צ Inundauerunt aquæ ſuper caput meum, di- *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum, dixi, De mundo*

EX CALD.	VET. AED.
mundo exciſus ſum.	xi, Perij.
Confugi ad nomen tuum domine, de lacus profunditate.	ק Inuocaui nomen tuũ domine, de lacu nouiſsimo.
Orationem meã tunc audiuiſti, itaque nunc ne abſcõdas aurem tuam, quin recipias orationem meam, vt reſpirare me facias propter petitionem meam.	ק Vocem meam audiſti: ne auertas aurem tuã à ſingultu meo & clamoribus.
*Accedere feciſti legatũ * pro liberatione mea, in die quo exoraui te, ore tuo dixiſti, Ne metuas.*	ק Appropinquaſti in die quando inuocaui te: dixiſti, Ne timeas.
Defendiſti domine, per miniſtros cauſam animæ meæ, liberaſti de manu illorum vitam meam.	ר Iudicaſti domine cauſam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.
Vidiſti domine, tyrannidem, qua vexauerunt me: iudica iudicium meum.	ר Vidiſti domine iniquitatem illorum aduerſum me: iudica iudicium meum.
Manifeſta tibi eſt omnis vltio illorum, (&) ſcelerata ſtudia omnia illorum contra me.	ר Vidiſti omnem furorẽ, vniuerſas cogitationes eorũ aduerſum me.
Audiuit maieſtas tua opprobria illorum domine, ſceleratos omnes conatus illorum contra me.	ש Audiſti opprobria eorum domine, omnes cogitationes eorum aduerſum me.

Labia

VET. AED.	*EX CALD.*
ש Labia inſurgentium mihi, & meditationes eorum aduerſum me tota die.	*Labia inſurgẽtium in me, & meditationes illorum cõtra me tota die.*
ש Seſsionem eorum & reſurrectionẽ eorum vide, ego ſum pſalmus eorum.	*Seßionem eorum, & [f] erectionem eorum contemplare, ſum ego carmen illorum.*
ת Reddes eis vicem domine, iuxta opera manuum ſuarum.	*Rependes eis retributionem [g] malam domine, iuxta opera manuum ſuarum.*
ת Dabis eis ſcutũ cordis laborem tuum.	*Dabis eis vexationẽ cordis, & afflictio tua fatigabit illos.*
ת Perſequêris in furore tuo, & conteres eos ſub cœlis domine.	*Perſequêris eos in ira, delebis eos de ſub altitudine cœlorum [h] domini.*

In caput 3. paraphraſis Scholia.

a Ad verbum locus iſte ita vertendus eſt: Ego vir, qui videns (fui) afflictionem meam, &c. Si enim verſum iſtum de Ieremia ipſo intelligamus, perinde eſt, ac ſi dixerit ille: Ego ille ſum vates cæteris infœlicior, quandoquidem prophetæ alij tantùm ruinam & caſum regni Ieroſolymitani præfati ſunt: ego verò & prædixi, & immeritò percuſſus, ac in carcerem coniectus in tam vehementi & diro furore, tantæ labi & cladi interfui. Secundum Hebræos autẽ, eius, relatiuum eſt vel ad iram Dei, vel ad hoſtem.

b Ieremię 20. a. & 38. b. videre licet Ieremiam in carcerem fuiſſe coniectum & percuſſum: quare non ineptè capitis huius bona pars vel ad Ieremiam, vel ad alium quemuis Iehudæum exulem, atque extorrem à ſolo patrio referri poteſt.

c Q. d. Indeſinenter affligor & excrucior.

 d Id eſt,

d Id eſt, eneruauit atque ademit vires meas: oſſa enim ſæpenumero pro viribus ſumuntur in ſcriptura, quia ſunt fulcra corporis.

e Poteſt hic verſus cum nonnullis ex ſequentibus commodè (vt 4. Reg. 24. Ieremiæ 39.b. & 52.a. ſcriptũ eſt) ad Iehoiacin, vel ad Tſedeciam reges referri.

f Caldaïcè, Capita, per quæ intelligit præfectos & ductores auxiliarium turmarum & cohortum, quæ in vrbe obſeſſa afficiebantur ſtipendio à Ieroſolymitano rege, qui omnes hoſtili gladio corruerunt. Vel etiam per capita ſiue duces populorum ſignificat nationes finitimas Iudææ, quæ vnà cum Iudæa ipſa vaſtatæ fuerunt: nã ab exilio Babylonico, nulla fuit deinde mentio Idumæorum, Moabitarum, Ammonitarum, & Peliſtæorum, qui valde infenſi & inimici ſemper fuerãt Iudæis, quoniam deleti omnino fuerunt cum ſuis ducibus.

g Q. d. Non minùs obſcurus & tenebroſus erat carcer, in quem fui detruſus, quàm ſint mortuorum ſepulchra.

h Cald. Qui ætate alia ambulantes fuerunt.

i Cald. Clauſa eſt domus orationis meæ, id eſt, hebetes & obtuſas habet aures Deus, vel hoſtis, ne meam orationem recipiat: ſicq́ue inexorabilis atque implacabilis eſt.

k Aptè verſus iſte cum ſequentibus aliis nonnullis, referri poteſt per Proſopopœïam ad deſolatam Ieruſalem.

l Hoc in verſu grauiſsimam oſtendit calamitatem & afflictionem, (quam prædixerat cap. 9. ſuæ prophetiæ Ieremias) iam veniſſe. Dixit enim illic: Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis. Lege ſi placet caput illud.

m Verti etiam poteſt Caldaïca dictio אֶדְכַּר per recordatus ſum, vel recordare.

n Id eſt, magnum & tutiſsimum eſt in te credere, & à te pẽdere. Verti etiã poteſt Caldaïca dictio, magna eſt הֵימָנוּתָךְ fidelitas tua. Id eſt, adeò veraciſsimus es in promiſsionibus tuis, vt quicquid ſcripturis tuis promiſeris, certò facias & præſtes.

o Certè bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde, Pſal. 72.

p Scriptum eſt Pſal. 34. Propè adeſt dominus his, quibus eſt cordolium: confractos enim ſpiritu ſeruat.

q Conuenit optimè Caldæus interpres cum Chriſto, Matth. 11. vbi ille dixit, Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

r Q. d. Secum habitabit benè ſibi conſulens & ſeparatus à deſideriis ſeculi.

ſ Iuxta

f Iuxta illud Prouerbiorum 18. b. Turris fortiſsima nomen domini, ad ipſum currere ſolet iuſtus, & exaltatur.

t Id eſt, Submiſsè de ſe ſentiet.

v Q.d. Ita æquo feret animo contumelias, opprobria & conuitia propter Deum, qui educatus fuerit à teneris vnguiculis in timore domini, atque ſi cibum ſumeret lautè & ſplendidè.

x Cald. Opera domini mortales omnes vocat:re vera enim opus manuum illius ſumus.

y Malum hîc pro afflictione ſumitur, ſicut Amos 3. vbi vide annotationes in illum locum, in litera *e*.

z Cald. Sanctitatem Deum vocat.

a Q.d. Cùm, vt modò dictum eſt, quicquid ingruit mali nobis à domino, propter peccata noſtra fiat, pérque nos ſtet, quominùs reconciliemur Deo, à quo bona procedunt omnia: quare non benè vtimur dotibus, quibus à Deo dotati ſumus?

b Id eſt, Conſideremus opera, & mores noſtros corruptos, & deprauatos.

b Cald. Loquens conſolationes mihi.

c Vt Ieremiæ 37. cap. ſcriptum eſt, Ieremiæ prophetæ hæc omnia acciderunt. Lege etiam eiuſdem caput 38.

d Fieri potuit, vt dum apprehenderetur Ieremias, iecerint in eũ lapides: cæſus enim detruſus fuit in carcerem.

e Per legatũ, ſiue nuntium illũ, videtur intellexiſſe Abde-melecum Aethiopem eunuchũ, qui à rege Tſedecia miſſus, Ieremiam è lacu extraxit, Ieremiæ 38. c.

f Id eſt, Vides quòd, tum quando ſedebant, tum quando ſtabant, ego materia canticorum illorum fuerim.

g Tres verſus ſequentes mihi intelligendi videntur per obſeruationem quam feci in verſum vltimum cap 1.

h In Caldæo vt in Hebræo eſt antecedens pro relatiuo, nempe domini, id eſt, tuorum: quod ſæpe vſuuenit vtrique linguæ.

Cap. IIII.

VET. AED. א	*EX CALD.*
QVomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color opti-	*QVomodo obſcuratũ eſt aurũ domus ſanctuarij, mutata eſt forma eximij*

EX CALD.	VET. AED.
eximij palatij, effuſæ fuerũt [a] margaritæ ſacræ per capita omnium platearum.	mus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium plantarum.
Filij Tſiionis inclyti, qui forma ſua ſimiles [b] erant auro puro, quomodo [c] obſcurati ſunt, profani eos percuſſerũt in cubilibus ſuis: ex illis etiã nonnullos, quòd eis delectationi eſſent, [d] contemplati ſunt, propter illorum formam egregiam: cõparati porrò ſunt vaſis [e] teſtaceis, operibus manuum figuli.	כ Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuũ figuli?
Fuerunt etiam filiæ Iſraëlis deliciæ filiis barbarorum, qui comparandi ſunt [f] draconibus extrahentibus mammas ſuas: nam enutriuit congregatio populi mei vinctos crudelibus, & lamentantur ſuper illos matres illorum, ſicut [g] ſtruthiones in deſerto.	ג Sed & lamię nudauerũt mammam, lactauerũt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.
Adhæſit lingua [h] infantis palato ſuo præ ſiti, paruuli petiuerunt panem, nec fuit, qui illis porrexerit.	ד Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius: in ſiti paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.
Qui opipatè epulabantur, vaſtati ſunt in plateis, qui educati fuerant in [i] coccinei coloris panno, amplexati ſunt ſtercora.	ה Qui veſcebantur voluptuoſè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

Et

VET. AED. | *EX CALD.*

ו Et maior effecta iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorũ, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non cœperunt in ea manus.

Grauior certè fuit culpa congregationis populi mei, quàm culpa [k] *Sedomæ, quæ quaſi momento euerſa fuit: non enim in illa habitauerant prophetæ, qui prophetauerint, vt illam reducerent ad pœnitentiam.*

ז Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.

Candidiores erant [l] *Nazaræi eius niue, nitebãt præ lacte, rubebant ſpecie præ margaritis, ſicut* [m] *ſapphirus vultus illorum.*

ח Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & nõ ſunt cogniti in plateis, adheſit cutis eorum oſsibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.

Nigreſecit præ [n] *nigredine exilium formam illorũ, nõ cogniti fuerũt in plateis, adhæſit cutis eorum oſsibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.*

ט Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame: quoniam ipſi extabuerunt cõſumpti à ſterilitate terræ.

Fœliciores fuerunt interfecti gladio fame peremptis, nam occiſi gladio fluxerunt, quando confoſſa fuerũt præcordia illorum, poſteaquàm [o] *comediſſent ex agrorum prouentibus, & euaſiſſent famem illorum viſceribus propinquã, propter cibi (defectum qui fuit.)*

י Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus

Manus mulierum, quæ ſolent erga calamitoſos miſericordes eſſe, coxerunt infan

EX CALD.	VET. AED.
tes ſuos, fuerunt nutrimento illis tempore ruinæ, qua vaſtata eſt congregatio populi mei.	earum in contritione filiæ populi mei.
Compleuit dominus furorẽ ſuum, effudit ſuper Ieruſalem iram furoris ſui, ardẽtem facẽ attulit in Tſiionem, & deuorauit fundamenta eius.	כ Compleuit dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ: & ſuccendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.
4. Reg. 24. c. 4. Reg. 25. b. *Regna terræ, omnéſque habitatores orbis non credidiſſent, quòd veniret Nebucadnetſar impius, & Nebuſardanus hoſtis capitalis, ad occidendum populum domus Iſraëlis intra portas Ieruſalem.*	ל Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Ieruſalem.
Facinoris grauitatẽ moderauit, quòd dicere poſſit (aliquis) non acciderũt hæc omnia, niſi propter illius malas prophetias: prophetauerant enim illi (pſeudoprophetæ) mendaces prophetias: propter etiam ſacerdotũ eius nequitiam, qui idôlis aromatum ſuffimenta offerebant: illi profectò in cauſa fuerunt effundendi iuſtorum ſanguinem, in medio illius.	מ Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates ſacerdotũ eius, qui effuderunt in medio eius ſanguinẽ iuſtorum.
Vagati ſunt cæci per plateas, inquinati ſunt ſanguine gladio confoſſorum, propterea enim quòd videre nõ	נ Errauerũt cęci in plateis, polluti ſunt ſanguine: cúmque non poſſent intrare, tenuerunt lacinias

VET. AED.	EX CALD.
nias ſuas.	poterant, inficiebant veſtimenta ſua.
ס Recedite polluti, clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe ſunt & commoti: dixerunt inter gentes. Non addet vltra, vt habitet in eis.	*Fugite à pollutione, clamabāt (inuicē) populi, diſcedite, diſcedite, nollite illos tāgere, abominabiles quippè erant & vagi: dicebāt, dum illis ſecundæ res eſſent, quòd eos in exilium agere gentes nunquam molirentur.*
פ Facies domini diuiſit eos, nō addet, vt reſpiciat eos: facies ſacerdotū non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.	*A facie domini amandati fuerunt, non addet, vt illos reſpiciat, quamobrē populi impij vultū ſacerdotū non reueriti ſunt, grauitatíque ſenum non pepercerunt.*
ע Cùm adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanū, cùm reſpiceremus attēti ad gentem, quæ ſaluare nos non poterat.	*Adhuc deficiebant oculi noſtri intuendo ad auxilium noſtrū, quod expectabamus à Romanis, ſed vanum nobis fuit, quòd de ſpecula noſtra attentè proſpexerimus ad Romanos: nos enim non liberaturus erat populus ille.*
צ Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarū, appropinquauit finis noſter, cōpleti ſunt dies noſtri,	*Collocauerūt inſidias in ſemitis noſtris, vt incedere non liceret confidenter per plateas noſtras, diximus, appropinquauit finis noſter, cōpleti*

EX CALD. — VET. AED.

pleti ſunt dies noſtri, quoniã aduenit exitus noſter.

quia venit finis noſter.

Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli, ſuper[t] montes inſequuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis.

ק Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli: ſuper mõtes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis.

Ioſias rex, qui nobis tanquam anhelitus ſpiritus vitalis, qui fit per nares noſtras, amabilis erat, & vnctus[v] fuerat ſecundum menſurã vnctionis domini, interceptus fuit retibus aſtutiarum ipſorum Ægyptiorum: de quo dicebamus, in vmbra iuſtitiæ illius viuemus inter[x] populos.

ר Spiritus oris noſtri Chriſtus dominꝰ captus eſt ĩ peccatis noſtris: cui diximꝰ, in vmbra tua viuemus in gentibus.

Exulta & gloriare Cõſtãtina ciuitas Idumææ impiæ, quæ ſita es in Armenia regione, in turmis multis[y] Idumæorũ, profectò futurum eſt, vt veniat ſuper te vindicta. Te quoque vaſtabunt ô prouincia Parcauæorum, & abominandus[z] calix maledictionis ſuper te erit, inebriaberis & euacuaberis (vomitu.)

ש Gaude & lætare filia Edom quę habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.

Tandem etiam completa erit iniquitas tua Synagôga Tſiionis, liberaberis enim per manus Meſiæ,[a] & Eliæ ſacerdotis eximij, & non addet dominus fore, vt

ת Completa eſt iniquitas tua filia Sion, non addet vltrà, vt tranſmigret te: viſitauit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua.

vltrà

vltrà exules tu. Cęterùm illo tempore viſitabit iniquitates tuas Roma impia, quæ ædificata es in Italia, & plena es Idumæorum cœtibus, ſiquidem venient Perſæ, qui perturbabunt, vaſtabúntquè te, quoniam cognita es coram domino propter peccata tua.

In cap. 4. paraphraſis Scholia.

a Per margaritas ſacras, ſiue ſanctas, lapides inauratos & pretioſos omnes, quibus ornatum fuerat templum, intelligit.

b Caldaiſmus, id eſt, Qui pulcherrima erant forma, ſiue pulchra pulchritudine.

c Id eſt, Quomodo vultum mutauerunt.

d Cald. Et ex illis contẽplati ſunt etiam, quos pepererãt mulieres pulchros, ad delectationem illorum.

e Hoc dicit, quòd citò forma pereat.

f Confert crudelitatem hoſtium cum feris catulos habentibus: nam per dracones feras omnes intelligit, quæ quando catulos habent, mammas habent pendulas & tractas, ſuntque tunc rapaciores, magíſque famelicæ: Vel per dracones videtur gentiles & barbaras mulieres intellexiſſe, quibus nutrire fructus ſuos accidebat, non autem Iehudæis matronis, vt ex duobus mox ſequentibus verſibus liquidò conſtat, propter alimenti & lactis in mammis mulierum defectum, aut quòd, qui iam adulti eſſent, vincti in exilium coram parentibus crudeliter agerentur.

g Per Struthiones ſiue Struthiocamelos intelligit pullos proprios ſtruthiocameli, quos ipſe duriter admodum tractat, & perinde eſt, ac ſi dixiſſet Ieremias, non minùs plangũt ac gemunt matres propter ablatos ſibi liberos, quàm ipſi pulli ſtruthiocameli, quos derelinquunt parentes. Deſcriptionem & naturam porrò ſtruthionis ſiue ſtruthiocameli, vide Iob 39.

**h* Id eſt, Etiam cum lætitia ſub dio in fimetis & ſterquiliniis agere & cubare coacti ſunt, qui florẽte Ieroſolyma optimè cuticulã curabãt.

i Ezechiel cap. 16. aliarum gentium ſcelera comparatione peccatorum Ieroſolymæ iuſtificans ſiue purgans Sedomitas, qui peſsimi fuerant, iuſtos poſſe cenſeri oſtendit, ſi conferantur illorum flagitia cum ſceleribus Ieroſolymorum. Lege caput illud ſi placet.

k De lege Nazaręorum, Num. 6.

l Hæc tanta calamitas prædicta fuerat ab Eſaïa, cap. 32. his verbis,

*Annotatiõ hæc pertinet ad verſũ, qui incipit, Qui opiparè, &c. neq; debet eſſe in ipſo verſu *i*, ſed in ſequenti vbi eſt k, debetq; ita retrò trãſlatæ literulæ referri ad annotationes ſingulas, id eſt, vbi eſt *l*, debet eſſe k, & ſic de cæteris.

Obſtupeſcite opulentæ,contremiſcite ſecuræ,exuite vos & nudate,accingite vos(ſaccis)ſuper renes:plangite propter hubera (carētia lacte,) propter arua deſiderabilia,& propter vineam fertilem,&c.

m Ob multam illorum puritatem.

n Id eſt, Deformes,horridi,atq; tabe ſqualLidi omnino effecti ſunt in exilio.

o Cald.Ex quo comediſſent de agri prouentu, exſufflaſſentque famem,&c.

p Supple,Dei veri legem callentium,ne illorum ab illis deprehenderetur & detegeretur error,& fucus,quem faciebant populo.

q Id eſt,cauete, ne(ſi eos tetigeritis)cùm inquinati ſanguine ſint, ab illis inficiamini.

r Quandoquidem non infirmior ſexus, non conſideratio nobilitatis, non reuerentia ſacerdotalis crudeles hoſtium animos mouebat: quin vbi honorem conſpexerant, ibi furor magis exardebat, crudeliúſque ſæuiebant, rationem nullam ſenilis maturitatis,venerandæque canitiei habentes.

ſ Attingere videtur Caldæus interpres hoc loco bella,quæ Iehudæis illata fuerunt à Demetrio, Alexandro & Tryphone, poſtquàm ictum eſſet fœdus à Iehudæis cum Romanis, à quibus non adiuti videntur fuiſſe ex libris Macabæorū.Lege ab 8.cap.primi Macabęorū, ad finem vſque libri, & varias videbis à Iehudæis clades ſuſceptas. Contextus Heb. tamē,qui nullum expreſsit populum, referri poteſt etiam ad Aegyptios ipſos,quorum auxilio freti erant Iehudæi,Eſaiæ 30. & Iere.37.

t Q.d.Nullum habuimus receptum, nullúmque aſſequuti ſumus effugium.

v Hoc loco per vnctum ſecundum menſuram vnctionis domini, intellige,legitimè, ſecundū canones & ritus ſacros regem creatum, nam vngi ſolebant veteris legis reges omnes, quando creabantur. Eſt autem Caldaïſmus.

x Inter populos dicit,quòd vndiquáque eſſent Iudæi gētibus circundati,à quibus regnante Ioſia,tuti erant.

y Per Idumæos ſiue Edomæos ſæpenumero in ſacris literis hoſtes capitales Iſraëlitici generis intelliguntur, vt obſeruatum videbis à nobis in cap.1.Amoſi ſuprà.

z Vel,Et calix maledictionis ſuper te tranſibit.

a Hoc ad tempus quo erit vnum ouile,& vnus paſtor, quando Iſraëlis reliquiæ ſaluæ fient,referendum.

ORATIO

ORATIO IEREMIAE.

Caput V.

VET. AED.

R_Ecordare domine quid acciderit nobis: intuere & reſpice opprobrium noſtrum.

Hęreditas noſtra verſa eſt ad alienos: domus noſtræ ad extraneos.

Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ.

Aquam noſtram pecunia bibimus, ligna noſtra pretio comparauimus.

Ceruicib' noſtris minabamur: laſsis non dabatur requies.

Aegypto dedimus ma

EX CALD.

*R*_*Ecordare domine eius, quod decretũ eſt fore nobis, contẽplare de cœlis, & reſpice opprobrium noſtrum.*

Hæreditas noſtra verſa eſt ad profanos, domus noſtræ ad populos barbaros.

Similes ſumus pupillis patre orbatis, matres noſtræ tanquam viduæ, quia abierunt mariti illarum ad ciuitates [a] maritimas, dubiúmque illis eſt, an poterunt illi emergere.

Aquam noſtram pecunia bibimus, ligna noſtra pretio (tantùm ad nos) veniunt.

Supra nodum colli noſtri, cùm in exilium furoris Nebucadnetſaris impij iremus, [b] onerati fuimus: ingenuis filiorum Iſraëlis, qui vacui proficiſcebantur, præcepit, vt conſuerent libros legis, ex illíſque facerent ſaccos, quos lapillis implerent, qui in Euphratis ripa (inueniuntur) ac illis ceruices illorum onerauit. Ab illo profectò tempore nulla nobis fuit oculis requies.

Ægypto prebuimus [c] humeros,

EX CALD.	VET. AED.
meros, vt illic cibaremur, & Aſſyriæ, vt pane ſaturaremur.	num, & Aſſyrus, vt ſaturaremur pane.
Patres noſtri peccauerũt, & ipſi in mundo non ſunt, & nos poſt illos iniquitates eorum[d] portamus.	Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus.
[e]Scelerati homines, qui peregrini ſeruierant viris[f] præclaris, dominati ſunt nobis, nõ fuit, qui de manu illorum nos liberaret.	Serui dominati ſunt noſtri: non fuit, qui redimeret de manu eorum.
Vitæ noſtræ[g] periculo pro victu noſtro, panem adducebamus à facie inſequentis nos gladio, veniẽtis à parte deſerti.	In animabus noſtris afferebamus panem nobis à facie gladij in deſerto.
Pelles noſtræ tanquam clibanus, nigræ factæ ſunt, propter famis oppreſſionem.	Pellis noſtra quaſi clibanus, exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.
Viro nuptæ fœminæ violatæ fuerũt in Tſiione à Romanis, & virgines in ciuitatibus Iehudæ à Caldæis.	Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.
Principes manibus illorũ ſuſpenſi fuerũt, faciei ſenum non habuere rationem.	Principes manu ſuſpenſi ſunt, facies ſenum non erubuerunt.
Adoleſcẽtes (ad agitãdas) molas iuerunt, & pueri in ligneo patibulo corruerunt.	Adoleſcẽtibus impudicè abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt.

Senes

VET. AED.	EX CALD.
Senes defecerunt de portis: iuuenes de choro pſallentium.	*Senes*[b] *à porta Senatorum diſsipati fuerunt, & iuuenes ab ſchola cãticorum ſuorum.*
Defecit gaudiũ cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter.	*Ceſſauit gaudium cordis noſtri, verſum eſt in luctum tripudium noſtrum.*
Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis quia peccauimus.	*Cecidit*[i] *corona capitis noſtri, væ nobis quòd peccauerimus.*
Proptereà mœſtum factum eſt cor noſtrum, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri.	*Propter ipſam domũ ſanctuarij, quæ ꝓſtrata eſt, euanidum eſt cor noſtrum, propter etiam ipſum populum domus Iſraëlis, quòd illinc in exilium abierit, obtenebrati ſunt oculi noſtri.*
Propter mõtem Sion quia diſperiit, vulpes ambulauerunt in eo.	*Proptereà ꝙ mõs Tſiionis deſolatus eſt, vulpes ambulant in eo.*
Tu autem domine in æternum permanebis, ſolium tuum in generatione & generationem.	*Porrò*[k] *tibi ipſi domine in æternũ habitatio tua in cœlorum altitudine, & ſedes gloriæ tuæ perpetuò permanebunt.*
Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri? derelinques nos in longitudine dierum?	*Quare per ſecula obliuiſceris noſtri? deſeres nos in longitudinem diérum?*
Conuerte nos domine ad te, & cõuertemur:	*Conuerte nos ad te domine, & ad integram conuer-*

EX CALD.	VET. AED.
temur pœnitentiam, inſtaura dies noſtros in bonum,	innoua dies noſtros, ſicut à principio.

ſicut feciſti tempore dierum bonorum, qui olim fuerunt.

Quoniam præterquàm ꝙ reprobando reprobaſti nos, nobis iratus es vehementer.	Sed proiiciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer.

Conuerte (igitur) nos ad te domine: & ad integram conuertemur pœnitentiam, inſtaura dies noſtros in bonum, ſicut feciſti tempore dierum bonorum, qui olim fuerunt.

In cap. 5. paraphraſis Scholia.

a Vel occidentales, quia mare à Caldæis ſicut ab Hebr., aliquando pro occidente accipitur. Aut per maritimas ciuitates, intelligit ciuitates Caldæorum, quæ ſitæ erant verſus ſinum Perſicum, ad quas ex Iehudæis ſine ſuis vxoribus amandati fuerant.

b Supple, Sarcinas hoſtium ferentes, inquit interpres quidam Hebræus doctiſsimus, cuius nomen propter codicis ſcripti vetuſtatẽ, mihi incertum eſt.

c Vt ex 4. Reg. 25. & Ieremiæ 40. vſque ad 44. cap. conſtat. Reliquiæ populi occiſo Godolia, in Aegyptum ſe contulerunt, vt meliùs haberent. Potuerunt etiam nonnulli ad Aſſyrios ſe conferre, ad quos iampridem decem tribus amandatæ fuerant, à Salmanaſare Aſſyriorum rege.

d Supple, Propter noſtra ſcelera, quibus illos imitati ſumus, nõ enim portat filius iniquitatem patris, niſi fuerit illius imitator.

e Cald. filij ipſius furoris.

f Per viros præclaros intellige magnates & potentes, qui Cald. viri nominis dicuntur hìc.

g Cald. In anima noſtra.

h Quaſi dicat: Ceſſauit reddi ius in ædibus ad hoc cõſtructis in porta ciuitatum, à ſenioribus, qui (vt antiquorum Hebrçorum traditiones teſtantur) ſeptuaginta vnus numero in Ieruſalem erant, tanquàm ſupremi Senatus Senatores, eò ꝙ Numer. 11. legatur: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël. Moſes autem ſuper illos erat, in cuius locum illo vita defuncto, vnus ſufficiebatur, & ita 71. erant. Illi,

tantiſper dum ſine rege fuerunt Hebræi, ſceptrum repræſentabant, & ab illis ſceptrum pendebat. Semper apud illos ſanciendi leges & omnis iudicandi poteſtas fuit,etiam ſub regibus & ducibus, eiſque deletis adhuc durabat illorum authoritas, ita vt nihil vnquam niſi ipſorum conſilio fieret. Eos Sanhedrin appellant, & eo vocabulo hic vſus eſt Caldæus paraphraſtes,quod certè Græcum eſt:nam συνέδροι ſenatores, ſiue iudices dicuntur, à verbo συνεδρεύω præſideo. Sapientia, ſtaturæ grauitate, & authoritate illos præſtare oportebat:non ſolùm ſenectute vt venerabiles eſſent,quin & magicam artem perfectè callerēt, vt conuincere, & iudicare poſſent incantamentis & maleficiis ſuis fidentes, verumetiam , ne opus eſſet illis aliquo interprete , ſeptuaginta linguas eos ſcire oportebat. Quo die aliquem morti addixerant, nihil guſtare eis licebat:ex illis tres de ciuilibus cauſis iudicare poterant,aliquem verò morte damnare viginti tres, nec pauciores. In tribum autem,aut ſceptrum,aut pſeudoprophetã,aut ſacerdotem magnum, ſententia ferri non poterat,niſi à ſeptuaginta duntaxat ſenatoribus magni collegij. Ad illos à cæteris Iehudæ ſubſelliis prouocare & illos tanquam ſupremum Senatum appellare licebat.Cùm porrò eligeretur in minoribus conuentibus trium & viginti iudicum iudex (viginti tres enim erant minores iudices in cæteris vrbibus Iehudæ , qui iura dicebant) neceſſe erat ordinis totius ſenatorij Ieroſolymitani decreto illum iudicem eligi trium aut quinque ſenatorum manuum impoſitione, à quibus cōfirmabatur ille, aut nominis inſtitutione Rabbi vocabatur, ſed in tali iudicis electione quinque neceſſariò occiſis animalibus, lupo, leone, vrſo, pardo & ſerpente , à viginti tribus iudicibus. Qua animalium occiſione exiſtimo illos ſignificanter oſtendere voluiſſe eum,cui demandata eſt prouincia reddendi vnicuiq; quod ſuum eſt,omnino expertem eſſe debere naturæ illorum brutorum, nihílque debere habere commune cum illis.

i Id eſt, Templum in quo maximè gloriabamur,proſtratum eſt, ſceptrum quoque regni ablatum eſt à nobis.

k Quaſi dicat,Imperium tuum non obnoxium eſt tranſlationi & viciſsitudini, ſicut omnia imperia & regna terræ: quíſque tecum ſunt, & qui apud te erunt,perpetuò durabunt.

יתן לנו י'י לעשות הישר בעיניו כל ימי
חיינו אמן :

תִּקְוָה וְעָמָל :

SPES ET LABOR.

INDEX EORVM QVÆ IN hoc opere digna notatu viſa ſunt.

A

Ab menſis. 130
Abietis arboris natura 54
Abundantia rebellio in Dei præſcriptum
Acham lapidibus obrutus 11
Achor vallis ibidem.
Adami imitatores Iſraëlitæ 23.& 24
Ad nomen domini confugere debemus 154.& 158
Aegyptiorum inuẽtum Geometria 69
Aegyptij & Idumæi pro impiis 71
Aegyptiorum auxilio freti erant Iudæi 168
Aeſtiui fructus quid ſignificẽt 100
Affinitas cum exteris lege vetabatur 112
Affinitatem cum externis malè contraxerunt 19.21.& 112
Afflictio ſiue malũ in ciuitate non niſi à domino 81
Agnus ſelectus derelictus Iſr. 16
Amator & amicus 10
Amatores pſeudoprophetæ ibid.
Amor Dei erga Iſraëlitas 12
Amoſus propheta cuias fuerit, & quo vixerit ſeculo 72
Amoſus abundans pecoris ibid.
Ammonitarum origo & crudelitas 76
Annales regum interciderunt 120
Animalia quinque occidebãtur in iudicis electione 173
Antecedẽs pro relatiuo ſæpe Heb. & Cald. 23.70.& 161
Antiquus lugẽdi modus exprimitur 99
Apoſtrophe 83
Arcturus & Orion ſigna turbida 90
Aſdodus ſiue Azotus ciuitas Palæſtinæ 83
Aſtaroth Tſidoniorum idôlũ 69
Aſtrũ pro Deo colebant 89.& 91
Auaritia ſacerdotum 17
Auaritia ſumma Iſraëlitarum 100
Audax peccãdi Iudæorum impudentia 133
Aurora pro fine ſumitur 41
Azarias rex, Vziias etiam dicitur 4

B

Baal-Peor idôlum 33
Babylonici exercitus aduentus 29
Barbarorum nomina non imponenda pueris 91
Beer-Seba locus qualis, & vnde nomen habuerit 89
Benedictio Dei 7.10.& 64
Benedictiones ſex Meſię ſecũdum Hebr. & Chriſtianos 122
Betheli vitulus celebris 4
Betheli fanum ſubuertetur 38
Betheli celebritas 4.& 56
Bethelus quare electus pro adorando vitulo ibidem
Betheli etymologia 48
Betheli habitatores delebuntur 87
Beth-Eden & Bicath-Auen ciuitates Syriæ 74
Bonis viris imponitur ſilentium 88.& 90

A Botſra

Botſra vrbs 76
Bruchus Heb. & Cald. quomodo dicatur 58

C

Calamitas magna prædicitur 55. 56. & 88
Calcei quid ſignificent 80
Caldæis & Hebræis non eſt verbum præſentis temporis 149
Caldaïcę linguę antiquitas & vtilitas in præfatione oſtenditur.
Calne ſiue Chalane ciuitas pro Babylonica regione 93
Candelabrũ pro toto templo metonymicῶs 104
Caniſtrum plenum æſtiuis fructibus quid 100
Caſtella & arces regionibus ſunt tanquam oſſa corpori 139
Caſtigationes Dei 26
Catechumeni ſiue nouitij in lege Chriſti repræſentant proſelytos 112
Cerubus ſiue Cherub & Cherubin quid 104
Chriſti venditio numerata pecunia 12. 13. & 14
Chriſtus doctor prænuntiatur 62
Chriſtianus nõ perſequutionibus perturbatur 11
Chriſtiani hominis deſcriptio 9. & 12
Chriſti diuinitas pręnuntiatur 62
Colũba quare ſtolida dicatur 26. & 28
Collidentur paruuli 52
Conſuetudo vetus Iſraëlitarũ accipiendi, vel dandi, vel redimẽdi, vel inuicẽ cõmutandi 123. & 124
Cordis facultas in animalis corpore 139
Cordis impietas abigenda & veſtimenta non laceranda 61
Crura adempta, vel auricula ex leonis faucibus Iſraëlitæ 81
Culpa ſanguinis innocentis effuſi in Ephraïmitas redundabit 46
Cyrene ciuitas pro tota regione Cyrenaïca 75

D

Damaſcus Syriæ metropolis 74
Dani fanum appendix Betheli 5
Dei facilitas ſumma in condonando 12. Omnipotẽtia 102. & 103
Decem tribus in perpetuum exularunt 94
Defuncti ſine liberis quomodo nomen conſeruabatur 123
Deſertum inter Iſraëlitas & Aſſyrios 52
Dies redẽptionis factæ per Chriſtum 12. & 13
Dies in plurali pro anno quare ſumatur 86
Diuitiæ fallaces 20
Diuortij ſiue repudij libelli ſecundùm Hebr. & Romanos exemplum 121
Dominus columen erit populo ſuo 68
Doctoris ſacrarum literarum officium 80
Doctores ſeducti vino qui 80
Doctor Chriſtus prænũtiatur 62

E

Eccleſiæ Chriſti amplitudo & dignitas 103
Emath ciuitas copioſa 92
Ephraïmitæ gentibus cõmixti 26
Ephraïmitæ placentę ſimiles ibid.

Ephra-

Ephraïmitæ auguſti fuerunt 49
Erroris ſpiritus inter Iſraëlitas 16. & 19
Eruca Heb. & Caldaïcè quomodo appelletur 58
Expreſsio diei noſtræ redemptionis quæ facta eſt per Chriſtum 12. & 13

F

Fames decies in mundo 107
Fames ſæuiſsima 146
Fames & ſitis audiendi verbum Dei 99. & 107
Fanum vitulorum in Bethelo & Dano 4. & 5
Fauoris diuini ſubtraxio, maledictio eſt 33
Fauor Dei ſubtrahitur 22
Feles in palatiis manebunt 35
Ficus folium primùm inter folia decidit 4
Fides Dei magna 154
Finis laborum promittitur fidelibus in Chriſto 42. & 44
Fœlicitate nimia abuſus eſt Iſraël 16
Fœniſeciū regiū quando fieret 95
Fructus æſtiui quid ſignificet 100
Frumentum & lapilli in vano pro ſuperſtitibus cladis 106

G

Gath, ſiue Geth ciuitas 93
Gaza vrbs quomodo Heb. & Caldaïcè appelletur 75
Ge-Hinnom, ſiue Ge-Hēna quid 36
Genius malus dicitur piſtor, & quare 25. & 27
Gentis gratia locum Ieroſolymę elegerat dominus 149
Gilgalæ ſiue Galgalæ celebritas 18
Gilgalæ locus quare Deo & prophetis inuiſus ibidem
Grauidæ mulieres diſcindētur 52
Grauis admodū calamitas 16

H

Hebraïco Matthæi Euāgelio vtebantur Nazareni 150
Hepar eſt officina ſanguinis 149
Hordeaceus erat manipulus primitiarum, & in paſchatis principio offerebatur 110. & 113
Hoſeas contra idololatras vaticinatur 1
Hoſeas Ieroſolymitanus fuit, & prophetæ filius 3
Hoſeas diu vixit ibidem
Hoſeas quot annis ante cladē Samaritanam vaticinatus eſt ibid.
Hoſeas inuehitur in Samaritanū & Iudaïcum regnum 4
Hoſeas taxat ciuitates Ieroſolymam & Samariam ibidem
Hoſtis venturi immanitas ob non ſeruatum verbum domini 49

I

Iſraëlitæ non ex animo Deo ſeruiebant 40
Iſraëlitæ vitis accepta erant, quando agebant lege 37
Iſraëlitæ immemores beneficiorū Dei ibidem
Iſraëlitæ ſunt vitis diſsipata ibid.
Iſraëlitæ idôlis mactabant liberos 34
Iſraëlitæ tandem Meſiæ morigeri fient 13
Iſraëlitæ fœdifragi fuerunt 23. & 37

Iſraëlitæ perfidioſi, fures nocturni & graſſatores fuerunt 25. & 37
Iſraëlitarum ingrata inſolétia 27
Iſraëlitæ vt vas inutile inter gétes 30
Iſraëlit. corruptioni dediti 33. & 92
Iſraëlitarũ impudentia 15. & 17
Iſraël agnus ſelect' derelictus 16
Iſraëlitæ colũbę ſtolidę ſimiles 26
Iſraëlitæ ingrati Deo 38. 41. 77. & 103
Iſraëlitarũ duę iniquitates quę 40
Iſraëlitę pręſentibus Dei ꝓphetis colebant idôla & ſimulachra 41
Iſraëlitæ legem Dei reuocant in dubium 42
Iſraëlitæ voluptatibus dediti 92
Iraëliticus populus ꝓ duabus tribubus tantũ, & nõ pro decẽ aut duodecim ſumitur, & quare 104
Iacobus luctatus cũ angelo fleuit, quod in Geneſi non legitur 47
Iaroubamus filius Nebati author adorandi vitulos 4
Idôlis poſtpoſitus Deus 8
Idolorum memoria peribit 9
Idumęi in ſacris literis pro capitalibus hoſtibus Iſraëlit. 75. & 76
Ieconiah & Iehoiacim idẽ eſt nomen 149
Ieruſalẽ quare dicatur ſimilis viduæ, & non vidua 138
Ieſu Chriſti domini noſtri prædicitur aduentus 38
Iiſac pro decẽ tribubus Iſraëlitarum quare 97
Ingrati Deo ſalarium eſt ignominia 15
Inſidiatores 26
Ioëlis prophetę patria & ętas qua vixit 57
Ioël à nõnullis filius Samuëlis creditus 58
Ionathanus 28. annis ante Chriſtũ vixit. in præfatione.
Ioſephus iuſtus Chriſti typus 14
Ioſephi domus quare decẽ tribus Iſraëlis ſignificet 90
Irrita Iſraëlitarum ſacrificia 32
Ironia 86
Iudæi quare cuſtodes librorũ veteris teſtamenti. in præfatione.
Iudæorum audax peccandi impudentia 133
Iudæorum magna occiſio 151
Iudices muneribus & pecunia corrupti 79
Iudices perfidioſè accuſant 26
Iudices corrupti diuitiis 20
Iudicium corruptiſſimum 93
Iudiciũ extremũ prædicitur 63. & 67
Iudicium Dei veluti lux 23
Iugũ mãdatorũ à pueritia ferendum 154
Iuſti pro iniuſtis habentur in iudiciis 20

L

Legẽdi Hebraïcè ratio per manus maiorum habebatur antè puncta inuenta 44
Legẽ Dei reuocat in dubium populus 42
Legis Dei obliuione exilium 15
Legis cognitio fuit ſingulis tribubus 20
Legis domini obſeruatio holocauſtis anteponitur 23
Leones nõ fruſtra rugire ſolẽt 82
Leuitarum officium vſurpatur ab Iſraëlitis 50. & 91
Lex docet cultum Dei 23

Libamina ex vino vetere fiebāt 53
Libani montis vina optima 54
Libelli diuortij ſiue repudij formula ſecundū Heb. & Rom. 121
Libri ſacri omnes non extant 40. 72. & 120
Librorum ſacrorū iactura quare æquo animo ferenda 40. & 72
Literæ eiuſdē organi in omnibus linguis inuicem ſępe ſubſtituuntur 97
Locus Betheli quare celebris 4
Locus de Meſia intelligendus 2
Loc⁹ Geneſ. & Mat explicatur 47
Locus 4. Reg. 3. explicatur 78
Locus Pauli explicatur 52
Locuſtarū examē quid ſignificet 97
Locuſta quomodo Heb. & Cald. appelletur 58
Locuſtis vbi veſcūtur homines 58
Locuſtæ gētis noīe intelligūtur 59
Locuſtarum damnū magnum 55
Lugēdi modus antiquorum exprimitur 99
Lyrarum Iſraëlitarum ſonus non Deo gratus 89

M

Maledictio Dei penuriā ſignificat 10
Mal⁹ genius dicitur piſtor 25. & 27
Manipulus primitiarū in paſchatis principio offerebatur, & erat hordeaceus 110. & 113
Mandata domini recta ſunt 53
Manuū impoſitio in eligendis iudicibus 173
Maphis ſeu Memphis ciuitas 34
Mare pro occidētali plaga quare ſumatur 41. & 172
Maſoretæ authores punctorū vocalium 44
Mendaces & impoſtores inſignes Iſraëlitæ 42. & 45
Mēdacia pro oraculis pſeudoprophetarum & idôlis 79
Menſis inſititius quid 99. & 100
Mēſe Februario genio iudulgent Heb. & legūt hiſtoriā Heſterę 100
Meretricium, vinum & temulētia quid agunt 16
Meſiæ morigeri fiēt Iſraëlitæ tandem 13. & 53
Meſiæ benedictiones ſex ſecūdum Heb. & Chriſtianos 122
Millenarius numerus p infinito & incerto numero ſępe in ſcriptura 70. & 71
Miracula in gratiam patrū veteris & nouæ legis edita 8. & 11
Miſericordia excellentior ſacrificiis 23
Miſeros affligunt Iſraëlitæ 87
Modus antiquus lugendi 99
Modus mittendi in poſſeſsionem proximū ducentem viduam demortui proſelytam 124. & 127
Monetæ precii augmentum lucri gratia 99
Mortuorum reuocatio 22. & 69
Mortis genera quatuor apud Iudæos in ſceleratos 110

N

Nominis Iehoua explicatio 48
Nomina defunctorum ſine liberis quomodo conſeruabantur 123
Nō intelligens legē populus colliditur 16
Numeri mutatio frequens Hebr. & Caldæis 40

O

Onkelos ſororis Titi filius. ī præf.

Optimates

Optimates Iudæ ſunt iniqui 20. & 22
Optimates Iſraëlitarũ perfidi 34
Oratio iuſti exauditur 95
Ordine præpoſtero res geruntur apud Iſraëlitas 87
Oriõ & Arcturus ſigna turbida 90
Oſſa pro viribus ſæpe in ſcriptura 160
Otium peccare fecit Iſraëlitas 33

P

Pacifica ſacrificia quibus de cauſis fiebant 10
Parentum exemplũ malũ 16. & 18
Paſchatis principio manipulus primitiarum offerebatur 110. & 113
Paucitas verorum cõcionatorum verbi Dei 99
Pauperũ iudicium peruertitur 77
Pauperes opprimunt Iſraëlitę 87. & 99
Pax ſũma Chriſtiano vero 9. & 11
Peccata Deum non latent 155
Pẽtapolis regio quare ſic dicta 43
Perditio ex idolorum cultu 49
Perſonæ mutatio frequens Hebr. & Caldæis 35. & 82
Piſtor malus genius quare dicitur 25. & 27
Placentæ ſimiles Ephraïmitæ 26
Plauſtri moleſtia quæ 80
Pluuia extremi temporis vtiliſsima 23. & 24
Polenta ex quibus fiat 117
Populi nomine intelliguntur locuſtæ 59. 60. & 62
Populus non intelligens legẽ, collidetur 16
Porcus immolatus in templo 148
Præteritum pro Futuro, prophetico more 6
Præcepta ſexcenta tredecim Iudæis 109
Primitiua pluuia quæ ſit, & illius vtilitas 61. & 65
Primates ignominiam amant 16
Principes rapaces ibidem.
Profeſſores quarum linguarum alendi honeſtis ſtipẽdiis. in præf.
Prolixæ & clamoſæ preces idololatrarum 33
Prophetis Dei ſilentium imponitur 78
Prophetæ in nouo teſtamento 11
Propheticarum admonitionũ cõtemptus, cauſa ruinæ Iſraëlis 82
Proſelyti quomodo fiebãt & admittebantur ad cultum & religionem Dei 1. 2
Proſopopœïa figura 64. 80. 148. 149. & 160
Pſeudoprophetæ in errorem inducunt Ephraïmitas 49 & Ieroſolymitanos 144
Pſeudoprophetæ 33
Pſeudoprophetæ corruent 15
Pſeudoprophetis credit ſynagôga 7
Puncta vocalia Ionathani tempore non erant 6. & 44
Punctorum vocalium authores, & quare inuenta fuerunt 44

Q

Quinque animalia occidebantur in iudicis electione 173
Quomodo ſancti mala imprecentur 140

R

Rabba metropolis Ammonitarum 76

Rapina

Rapina pro bonis iniquè partis ſumitur 81
Rebus fugacibus & fluxis comparantur Iſraëlitæ 51
Regium fœniſecium quando fiebat 95
Reliquiæ Iſraëlitarum & Iudæorum ad Chriſtum conuertentur 2.66.86.& 103
Repudij ſiue diuortij libelli ſecundùm Hebr. & Romanos exemplum 121
Rete pro technis & inſidiis accipitur 19.& 21
Rete Dei quid ſit 26.& 28
Rex & principes illegitimè conſtituti erant 30
Rex nugatores audit 25
Robigo Hebr. & Caldaïcè quomodo vocetur 58
S
Sabæa gens quid ſignificet 70
Sabbatho non vltra duos mille cubitos ambulare licet Iudæis 109
Sacerdotũ conniuentia ad peccata populi 15
Sacerdotes idolôrum occidunt animas 23
Sacrificia ex rapina 31
Sacrificia Iſraëlitarum irrita 32
Seïn quid 117
Salacitas nefanda 77
Scabellum pedum domini dicitur templum Ieroſolymitanum 140
Scriptura aliquãdo in contẽptum malorum fœm. pro maſc. genere vtitur 86
Samarit. tẽpore Chriſti quales 5
Samaritanus dicitur vitulus, quãuis in Samaria non coleretur 39
Samaritana cõfuſio manifeſta valde prædicitur 38
Sãcti quomodo mala imprecentur 140
Sãguinis cognatione expectare ſolebat mulier maritũ, donec adoleuiſſet ille 109.& 112
Sanguinis Zachariæ ebullitio ſecundùm Hebræos 150
Senatus Ieroſolymitanus ſupremus erat 172. Illius authorit. 173
Senatores ſupremi ſenatus quot & quales ibidem
Senatores in minoribus ſubſelliis quot 173
Septenarius numerus quare ꝑ infinito ſiue incerto numero 74
Sepulchris vtebantur Iudæi 110
Serotina pluuia quæ ſit, & illius vtilitas 62.& 65
Seruator præter Deum nõ eſt 49
Serpentis prudentia 128
Sexcenta tredecim præcepta Iudæis 109
Sicmin Arbores 98
Sicuth idôlum quale 91
Similis viduæ quare dicatur Ieruſalem, & non vidua 138
Simulachrum ligneum conſulunt Iſraëlitæ 16
Spiritus ſancti effuſio ſuper omnẽ carnem 63
Spiritus erroris à cultu Dei aberrare facit 16.& 19
Sitis & fames audiendi verbum Dei 99.& 107
Stolida columba quare dicatur 26.& 28
Tſidonis vrbis celebritas ſitus & antiquitas 69

Tſidoniorum

Tſidoniorũ inuentũ Arithmetica, Aſtronomia & ſpecula 69
Tſidon artifex vitri ibidem
Synagôga pſeudoproph. credit 7
Synagôga pudore obruetur 15
Synagogę fœlicitas ex legis obſeruatione 33
Synagogæ mala conſilia 38. & 42
Synagôga pietatem libidini poſtpoſuit 38
Synagôgæ ruina & exitium 87
Synagôgæ & Iſraelitarũ oblationes & ſacrificia irrita 89

T

Tanquam capitalis & non capitalis hoſtis Ieroſolymæ quare dicatur Deus 148
Tautologia figura Heb. & Cald. frequẽs & elegans 24. 44. & 82
Templum ſacroſanctũ ob populi nequitiam faſtidit Deus 92
Terræmotus 72
Terræ quieta ceſſatio annũ ſeptimum ſignificat 100
Timorẽ domini quærere quid ſit 22. & 23
Tiſri menſis 131
Topheth quid ſit 36
De Tſidone ſiue Sidone & Tſidoniis vide ſuprà ante Sy.
Tyrij fœdifragi 75
Tyrus ciuitas quæ Heb. & Cald. dicitur Tſor qualis & quãta fuerit 35

V

Vallis deciſionis iudicij 67. & 68
Vallis Sittim ſiue Setim quid ſignificet 71
Vãnus ſeu cribrum pro calamitate graui & frumentum & lapilli pro ſuperſtitibus 106
Vaſtitas ſumma pręnunciatur 60
Venditio Chriſti numerata pecunia prædicitur 12. 13. & 14
Verbum Dei mediator eſt Dei & hominum 53
Verbum Dei capiſtrari aut ligari non poteſt 96. & 98
Verbum Dei dicitur Chriſtus 2
Verbum Dei Chriſtus vt leo rugiens 42. & 43
Verbum Dei Chriſtus iudex 95
Verbum præſentis temporis non eſt Hebræis & Caldæis 149
Veſtimenta non laceranda, ſed abigenda cordis impietas 61
Vetus cõſuetudo Iſraelitarum accipiendi, vel dandi, vel redimẽdi, vel inuicẽ cõmutandi 123. & 124
Vitulus adoratus in Bethelo celebris 4
Vitulus Samaritanus confringetur 30
Vituli, qui colebantur, tempeſtati & vento comparati ſunt 45
Vnctus ſecũdũ menſurã vnctionis domini quid ſignificet 168
Vrſarũ fœtus quales, & quare vrſæ ſæuiſsimæ ſint 51
Vt vas inutile Iſraelitæ inter gentes 30
Vxor vna non plures ſimul habendæ 47
Vziias rex, Azarias etiã altero nomine dicitur 4

Z

Zachariæ pater Binomius fuit 150
Zachariæ ſanguinis ſecundũ Heb. ebullitio ibidem

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE